HIAWATHA:

RENDERED INTO LATIN,

UNIV. OF
CALIFORNIA

With Introduction.

BY

FRANCIS WILLIAM NEWMAN,

PROFESSOR OF LATIN IN UNIVERSITY COLLEGE, LONDON.

LONDON:
WALTON AND MABERLY,
UPPER GOWER STREET AND IVY LANE.
1862.

Digitized by Google

PS2267
A64
1862
MAIN

PREFACE.

My object in this version, is, to afford to learners of Latin a pleasing book which will smooth their way to some of the difficulties of the language and allure them to enlarge their vocabulary.

The transpositions of words which I employ go beyond the usage of prose, but are less violent than those of polished Latin poets; and for the most part each line, forming a group of words in itself, guides the reader how to join them.

At the same time he will learn the free use of the participle, (common in Livy, as well as in the poets,) and a far larger vocabulary than can be found in the native poetry; for, the quantitative metres, unhappily adopted from Greece, artificially exclude whole classes of words. In Greek the mischief is not felt, for the numerous dialects afford special poetical diction, variable to every metre; but in Latin it has crippled poetry. Virgil is free to use Insula, Vestigia, in the nominative, but hardly in any other case. He may say Avolat, Avolet, Imperat, Imperet, but no other person or

965197 Digitized by Google

tense of the verb! He can employ Equito, but not Perequito, Obequito; Solus, but not Solitarius; Pulcer, but not Pulcritudo; Facilis, but not Facilior; Libertas, but not Veritas; Arenosus, but not Arenaceus. In short, scores and hundreds of words, even the most poetical, are forbidden to him. Ovid's couplet is still more artificial; and in these two metres the great mass of Latin poetry is written.

I cannot afford space here to defend what I believe to be a sound principle; that we ought, whenever possible, to learn a *language* first, and study its most characteristic and arduous *literature* afterwards. I have written in the *Edinburgh Museum* (No. IV., January, 1862) a rather elaborate argument, that it is wise to teach Latin by modern compositions, easier than those of the ancients; precisely *because* we cannot teach by talking. Unless books are very easy, few pupils can read enough to get imbued with the words and genius of a foreign tongue; and nothing can make up for want of *quantity*. Varied reiteration often teaches well without masters, grammar or philosophy; but without it, these can do but little.

Mr. Longfellow may be assured, that, in selecting his poem for my attempt I do so from warm admiration of its abounding beauties. I trust therefore he will forgive my large liberty, not only of abridgment, but of arbitrary alteration, especially where

Digitized by Google

the native legends which he has followed appeared to me too puerile, tedious or obscure. I do not here profess to be a mere translator; for I have widely other objects in view: yet not only have I very often translated with minute accuracy, but I have never introduced ornaments of my own. If any one unacquainted with the original should read my Latin, he must attribute whatever in it he finds of beauty to the genius of Mr. Longfellow.

The names of certain birds and beasts, as also a few things essentially modern, *could* not be expressed by Latin words found in the existing classics: but that is of absolutely no importance, if only the new words be formed according to strict classical analogies. Nevertheless, it seems right to annex a short Glossary for the student's convenience.

Digitized by Google

Digitized by Google

CARMEN HIAWATHAE.

Si rogitas, unde hae fabulae,
Unde vagus carminis mei rumor,
Odorem secum veliens silvestrem
Roreisque et nebulas pratorum
Cum verticoso mapalium fumo
Et decursibus fluviorum ingentium;
Dum verba suis insistunt vestigiis,
Iterata ac repercussa sine more,
Veluti montana tonitrua:—
Ego respondeo et tibi confirmo.
Ex silvis atque immensitatibus herbosis,
E vastis Septentrionis lacubus,
E finibus Ogibbawaiarum,
E sedibus Dacotarum,
E montibus ruscosis ac paludibus,
Ubi per arundineta pascitur ardea;
Ego repeto, qualia audivi
A labris Nawadāhae illius,
Suavis cantuum modulatoris.
Iterum si rogitas, unde Nawadāha
Haec carmina invenerit, incondita, mobilia;
Hos rumores rerum praeteritarum;
Ego respondeo, ac tibi confirmo:—
In silvestribus avium nidis,

Digitized by Google

In contabulatis fibri casulis,
In vestigiis ungularum bonassi,
In laribus aquilarum praecelsis.
Haec illi cecinere ferae volucres
Per montana incultorum rusceta,
Per maximas tristeisque paludes.
Talia cecinit pluvianus et mergus glacialis,
Ardea caerulea ac tetrao.
Ultra si rogites, quis fuerit Nawadāha,
Tali responso explicem.
In valle viridi ac silente
Propter rivulos amoenos Tawasenthae
Habitabat vates Nawadāha;
Vicumque Indicanum circumcirca
Ambiebant prata ac segetes.
Ultra autem silva constitit
Ac nemora pinorum vocalium,
Aestate viridium, albarum hieme,
Semper suspirantium, semper canentium.
At amoenos illos rivulos
Posses per vallem indagare
Verno aquarum impetu,
Aestivo alnorum auctu,
Albâ Auctumni nebulâ,
Nigro Hiemali alveo.
Propter quos habitabat ille vates
Ipsâ in valle Tawasenthae,
Viridi valle ac silenti.
Illic de Hiawāthâ cantabat,
Recitabatque carmen Hiawāthae,
Miri hominis mirabiliter nati;
Ut oraverit ac famem toleraverit,
Ut vixerit, desudaverit, perduraverit,

Digitized by Google

Quô hominum genteis adjuvaret
Suumque extolleret populum.
O qui cum Naturâ amatis obversari,
Qui aprica diligitis prata,
Qui umbrosam saltuum semitam
Ventumque inter ramos,
Atque imbrem seu pluvialem seu nivosum,
Et fluviorum ingentium decursūs
Per claustra pinis vallata;
Quique tonitrum amatis montanum,
Cujus vōces ultra numerum reboant,
Velut alae aquilarum plaudentes;
Audite effreneis has fabulas,
Hiawathae mirum carmen.
Qui popularia diligitis cantica
Vagasque vulgi historiolas,
Quae, vocum longinquarum instar,
Moram nos aureisque poscunt
Obloquio simplice ac puerili,
Quod, sitne sermo an cantŭs,
Vix possit auris dijudicare;—
O audite Indicanam meam fabulam,
Hiawathae mirum carmen.
Vos, quibus cor est integrum ac simplex;
Qui Deo confiditis ac Naturae;
Qui hominum animos creditis
Humanos esse per omne seculum;
Et pectus ferum incultumque
Tamen cupere, avere, contendi,
Bona parum intellecta expetens;
Et manum infirmam imperiti,
Qui sub tenebris explorat iter,
Caecam tamen Dei dexterae

Digitized by Google

Adjungi, et contactu sublevari :—
O audite simplicem hanc fabulam,
Hiawathae mirum carmen.
  Vos, qui identidem evagamini
Per virideis septi ruris semitas,
Ubi implexi berberidis rubi
Cirris baccarum punicearum
Macerias variant musco ravas ;
Si quando sepulcra inter obsoleta
Gradu represso contemplamini
Titulum evanidum scrutantes,
Indocte fortasse compositum
E vocabulis agrestibus illis quidem
Sed spe atque angore plenis,
Sublimi scaturientibus moestitiâ
Ex Praesenti re atque Venturâ :—
O immoramini meo titulo rudi :
Legite carmen Hiawathae.

Digitized by Google

CAPUT I.

TUBULUS CONCORDIAE FUMARIUS.

Super montibus camporum herbosorum
Dominus vitae, Daemon supremus,
Maximae tubulorum lapicidinae
Russos in scopulos degressus
Astitit: dein genteis excitabat,
Convocans humanos populos.
  Illius e vestigiis flumen prorupit,
In lucem matutinam exsiliens
Flagransque velut stella crinita,
Praeceps: sed Daemon, se deflectens,
Terrestre per pratum digito suo
Denotavit ei semitam flexuosam,
Dixitque: "Hâc viâ tu currito!"
  E russo lapicidinae saxo
Frustum diffregit manu,
Dein pro capulâ tubuli confinxit
Simulacris figuratum coelatumque.
Mox, fluvii a margine sumtâ
Pro scăpo tubuli longâ arundine
Foliis fuscùm virescente,
Capulam cortice implevit
Russae salicis comminutâ;
Vicinoque inspiravit nemori,
Ramos grandeis inter se confricans,

Digitized by Google

Dum flamma excitata prorumperet.
Tum erectus ipse in montibus
Daemon supremus, gentibus significans,
Fumum pacificum tubulo exhalabat.
  Per matutinam aëris quietem
Lente lentus surrexit fumus,
Unum primo nigredinis filum,
Tum densior caerulescens vapor,
Mox niveus se explicans nimbus
Silvestrium instar cacuminum
Altius in horas exsurgens,
Donec attigit culmen coeli
Confractusque passim dispergebatur.
  Scilicet a valle Tawasenthae
Atque Wyomingae a valle prorsum,
A nemoribus Tuscalousae,
A longinquis montibus Saxosis,
A lacubus fluviisque Septentrionis,
Cunctae gentes procul dispexere
Fumi ascendentis signum
E pacifico tubulo exspirati.
  "Propitius ecce fumus!"
Inquiunt populorum vates.
"Hoc signo, tanquam virgulâ salignâ,
Quam manus innuentis vibrat,
Ad concilium suum Daemon supremus
Genteis convocat ac bellatores."
  Secundùm fluvios, per campos herbidos,
Venere gentium bellatores,
Delawāri, Mohauci, Coctavi,
Camantii, Sotsoni, Nigripĕdes,
Paunaei, Omahavi, Mandani,
Dacōtae, Hurones, Ogibbawaiae;

Digitized by Google

Pacifico tubuli signo
Omnes in unum contracti
Ad montes camporum herbosorum
Russamque tubulorum lapicidinam.
  In prato constitere bellatores
Cum telis atque paratu bellico,
Picti tanquam Auctumni folia,
Velut caelum matutinum distincti,
Inter se ferociter obtuentes
Torvâ luce ex oculis indomitis;
Quippe in pectoribus condebant inimicitias
Diras, longinquas, avitas,
Haereditariam ultionis sitim.
  Sed Daemon supremus, gentium parens,
Cum misericordiâ eos aspexit,
Cum patris tenerâ caritate;
Ut qui iras horum ac rixas
Pro puerorum jurgiis aestimabat
Succensentium et inaniter pugnantium.
Itaque, dextrâ desuper imminens,
Umbrâ ejusdem subigebat
Obstinatam irarum pervicaciam,
Febriculosam sanguinis sitim;
Et augustâ maxumâque voce
Instar sonitûs longinquorum fluminum
In profundos gurgites praecipitantium,
Gravi monitu sic eos increpabat:
  "O filii mei miserandi,
Auscultate voces sapientiae.
Obedite orationi monitoriae
E labris summi Daemonis
Vestrique auctoris, Domini vitae.
  "Agros ego vobis venaticos dedi,

Digitized by Google

Rivos piscarios, ursos, bonassos,
Capream, tarandum, anserem, fibrum.
Paludes volucribus, piscibus amneis
Replevi: et cur non contenti estis?
Cur homo hominem venatur?
Taedet me vestrarum irarum,
Bellorum caedisque reciprocae,
Precisque ultricis et jurgii discordis.
At vobis ex consensu erunt vires;
Solâ ex discordiâ est periculum.
Ergo dehinc inter vos pacaminor,
Et unà, tanquam fratres, degitote.
"Vatem juridicum ad vos legabo,
Arbitrum gentibus salubrem,
Qui reget vos atque docebit,
Laborabit ac perpetietur vobiscum.
Hujus si consiliis obedietis,
Plures fietis ac prosperiores:
Sin neglexerĭtis ejus monitis,
Evanescentes peribitis.
"Quare hôc in flumine immersi
Abluite bellica pigmenta,
Sanguinis maculas digitis abstergite,
Clavas bellicas ac tela sepelite.
Hâc ex lapicidinâ erutum saxum
In russos pacis tubulos confingite:
Dein arundines, quae juxta crescunt,
Clarissimis decorate pennis,
Et, concordem respirantes fumum,
Dehinc ut fratres degitote."
Exinde bellatores super humum
Pallia projecerunt et nebridas
Cum telis et paratu bellico;

Digitized by Google

Tum in flumen decurrens praecipitati
Abluebant pigmenta bellica.
Superna clara fluebat aqua,
Ut limpida emicuerat sub pedibus
Domini vitae degredientis.
At inferior nigrescebat unda,
Puniceis maculis discolor,
Quasi mixto cruore distincta.
  Ex amne egressi bellatores,
Bellicis pigmentis abluti,
Clavas bellicas sepeliverunt
Cum ceteris telis sub ripas.
Tum Daemon supremus benigne
Arrisit filiis impotentibus.
  Atque illi obsequio tacito
Erutum ex lapicidinâ saxum
In lēves pacis tubulos confingebant;
Et proceras fluvii arundines
Clarissimis decorabant pennis
Jamjam suam in domum profecturi.
At Dominus vitae, ascendens
Per fissa nimborum aulaea
In apertas caeli januas,
Horum ab oculis evanuit,
Fumo involutus pacifico.

Digitized by Google

CAPUT II.

VENTI QUATUOR.

(1) *Favonius* (*Occidens*).

"LAUDIBUS tollite Magiceium,"
Exclamabant bellatores ac senes,
Quando domum pervenit triumphans
Cum sacro torque muriceo
Ab Aquilonum regionibus,
Albi territorio cuniculi.
  Surripuerat ille muriceum hunc torquem
De collo Regis ferarum,
Ursi ingentis montani,
Quem omnes populi formidabant;
Dum jacebat pondere inhabilis
Summis in montibus dormitans,
Instar muscosi saxi,
Musco cinereum maculati.
  Silenter ille obrepsit belluae,
Eò usque ut tantùm non tactus
Rufis unguibus deturbaretur;
Dum gravi narium spiritu
Tepebant manūs appropinquantis;
Quoad protraheret muriceum torquem
Super aureis rotundas non audientis,
Super oculos exiguos non videntis,
Super rostrum procerum nigrumque;
Unde narium calor anhelans
Afflabat mănibus Magiceii.

Digitized by Google

Tum bellico cantu longùm personans
Clavam bellicam sublime retortam
Defert; et Regem ferarum
Mediâ in fronte directo
Ipsos inter oculos percutit.
Scilicet attonitus gravi ictu
Surgebat ursus ingens montanus:
Sed genubus subtèr trementibus
Feminae instar ejulabat,
Vertiginosus ac titubans prorsum,
Mox natibus suppositis insidens.
At Magiceius, pollens vi validâ,
Coram intrepidus astans,
Magnâ deridebat voce,
Talia dedignanter ingerens:
"Ausculta, Urse! tu vero praetimidus,
Neque, qualem te simulabas, bellator es
Tu, qui ejulas plorasque
Feminae instar miserabilis.
Urse! tuus populus meusque (nôsti)
Infesto in bello colluctamur diu.
Jam, quia nostram vim senseris praevalidam,
Sub latebris silvarum reptas,
Per montèis te abscondis ignobilem.
Me si tu in pugnâ vicisses,
Nullum ego gemitum edidissem.
At tu, O Urse, assidens ploras,
Fletuque dedecoras gentem tuam,
Pectus exsangue semianimum,
Vetulâ imbecillâ non fortius."
Dein iterum clavam extulit,
Atque iterum Regem ferarum
Mediâ in fronte percussit,

Digitized by Google

Calvamque ei sic confregit,
Ut glaciem piscator hibernus.
Sic occisus est Rex ferarum,
Omnium gentium formido,
Ursus ille ingens montanus.
"Laudibus tollite Magiceium,"
Omnes acclamabant populi:
"Exinde ille erit pro Favonio.
Usque dehinc Ventis dominabitur;
Nec jam appellabitur *Magiceius*,
Sed *Favonius* posthac vocabitur."
Sic fuit Magiceio decreta
Patria potestas in ventos coeli.
Favonium ipsi sibi obtinuit,
Ceteros suis liberis assignavit.
Matutino dedit Subsolanum,
Aestivo Austrum dedit:
Aquilonem ferum ac crudelem
Truci assignavit *Arctico*.

(2) *Subsolanus* (*Oriens*).

Juvenis et pulcer erat Matutinus,
Et diluculum secum ducebat.
Hujusce argenteae sagittae
Fugabant caliginem a colle, a valle.
Huic genae quoque pingebantur
Clarissimo Phoenicum colore:
Ejusdem vox discutiebat somnum
Vicoque et cervis et venatoribus.
Solitarius in caelo fuit Matutinus.
Quanquam aves ei canebant hilariter;

Digitized by Google

Quanquam flores ei pratenses
Odoribus replebant aëra ;
Quanquam nemora atque fluvii
Adventu ejus susurrabant plaudentes ;
Tamen cor ei moestum fuit intus,
Quòd in caelo foret solitarius.
  Sed mānĕ quodam ad terram obtuens,
Dum vicus adhuc dormiebat,
Et nebula jacebat super amne,
Velut hominis mortui larva,
Quae sub ortum lucis evanescit ;—
Virginem aspexit in pratis
Gressu solivago incedentem,
Quae propter pratensem amnem
Iridas colligebat juncosque.
Mānĕ quotidie in terram despicienti
Usque prima res illic occursat
Hujus caeruleus oculorum contuitus,
Duplex inter junceta lacus caeruleus.
Ergo solivagam amabat virginem,
Quae advenientem sic opperiretur.
Etenim solitarius erat uterque,
Haec in terrâ, ille in caelo.
  Jamque procabatur blandimentis,
Leni risu aprico et alloquii illecebris.
Suspiriis permulcebat et cantu,
Dulcissimo inter ramos susurro,
Numeris mollissimis, odoribus suavissimis ;
Dum in suum gremium attractam
Puniceâ suâ pallâ obvolveret ;
Usque dum in stellam mutaret
In gremio suo etiamnum tremiscentem.
Ergo sempiternùm in caelis

Digitized by Google

Appārent unà incedentes
Matutinus ac Stella Matutina.

(3) *Aquilo.*

At vero atrox ille Arcticus
Inter moleis glacialeis habitabat,
Inter niveis vento coacervatas
Aeternas, ubi candidos agros
Candidus obtinet Cuniculus.
Ille Auctumnali manu
Folia arborea pingebat cocco,
Russis distinguens ac lūteis maculis.
Ille per silvam nivaleis floccos,
Cribro suo decussos, sibilanteis mittebat.
Gelabat stagna, lacūs, amneis ;
Abigebat in Australia mergum ac gaviam.
Corvum ille marinum ardeamque ad nidos
E carice atque algâ constructos
In Aestivi regna depellebat.
Quondam atrox ille Arcticus,
E deversorio nivibus congesto
(Domo ipsius glaciali) egressus,
Crineis suos pruinâ conspersos
Atri torrentis hiberni instar
De cervicibus promisit,
Dum ululans ingruit in Austrina
Gelatos super lacūs et rusceta montium.
Illic mediis in arundinetis
Invenit Colymbum urinatorem,
Pisceis filo connexos pone se trahentem
Gelatas super paludes clivosque humidos;

Digitized by Google

His locis etiamtum immorantem,
Quanquam omnis hujus populus jamdudum
Ad Aestivi regionem decesserat.
Tum vociferatur atrox Arcticus:
"Quis hic me contumaciter spernit?
Quis hic audet meis regnis immorari,
Niveus postquam anser decedit
Atque ardea petit meridiem?
Hujus ego in casulam ingressus
Exstinguam immorientem ignem."
Itaque noctu venit Arcticus,
Fremens sine more, ad casulam;
Et, nivium cumulis circùm conflatis,
Per tubum fumarium clamitat desuper.
Mox tibicines casulae furibundus quassat,
Velis ostii plangens.
Sed haec neque terrebant Colymbum,
Neque omnino illi erant curae.
Etenim ignem alebant satis
Ingentes stipites quatuor
In singulos menseis hibernos,
Piscesque ei cibum sufficiebant.
Ibi assidebat ardenti camino,
Calore fotus, vescens, hilaris,
Ridensque cantabat, "Heus Arctice!
Tu mecum pariter es tamen mortalis."
Mox ipse intrabat Arcticus:
Quem etsi Colymbus urinator
Adesse intellexit frigore,
Glacialem sentiens halitum;
Tamen neque cantare destitit,
Neque ille ridere scilicet.
Stipitem duntaxat paulum versavit,

Digitized by Google

Quo clarior arderet ignis,
Scintillis per tubum suum erumpentibus.
  Tum sudor a fronte Arctici
Et a cirris ejus pruinâ conspersis
Creber ac gravis destillabat,
In favillâ imprimens notas ;
Sicut de protecto casarum
Vel de ramulis cicutae flaccentibus
Cadit stiria vernò liquescens
Cavatque niveis aggeratas.
  Sed tandem victus surrexit,
Impatiens caloris risûsque,
Nec sustinuit hilarem cantum ;
Sed praeceps per ostium ruit,
Inculcans concretum frigus,
Nivibusque novis ac glacie
Lacūs consolidat atque amneis.
Tum Colymbum illum urinatorem
Ad nudum luctamen provocavit
Gelatis in paludibus et tesquis collium.
  Egreditur Colymbus urinator
Ad nocturnam sub Aquilone luctam,
Ut nudus montanis in paludibus
Luctaretur cum atroce Arctico ;
Quoad hicce anhelantior prehendebat,
Gelu manuum dissoluto,
Titubabatque vertigine correptus :
Mox irritus, pulsus recessit
In candidas Aquilonum oras
Candido regnatas Cuniculo,
Risuum procellas pone se audiens,
Quibus victor Colymbus ille urinator
Hilariter cantabat : "Heus mi Arctice !
Tu mecum pariter es tamen mortalis."

Digitized by Google

(4) *Auster* (*Meridies*).

Ceterum Aestivus, pinguis segnisque,
Longe ad meridiem habitabat
Inter soporas somniosas apricitates
Sub fervore horarum sempiterno.
Silvestreis hicce aveis Boream versus,
Rubeculam atque cyaneolam
Cum hirundine et ansere emittebat;
Mox melōnes ēdebat cucŭmĕres et tabacum,
Et purpureos uvarum racemos.
Hujus e tubulo fumus ascendens
Aestu vaporoso coelum miscebat,
Somniosâ mollitie implebat auras,
Aquas jubebat perlucere molliter,
Colleis salebrosos paullum lēvigavit,
Teneramque advexit aestatem Austrinam,
Quo in mense clarissime scintillant noctes;
Tristi item in mense, qui accolis Boreae
Soleas nivarias pedibus subligat.
Aestivum, sine curâ, sine voto,
Semel umbra maligna perstrinxit,
Semel dolor pupugit in corde.
Olim, in Aquilones prospectans,
Procul in campis herbosis
Virginem astantem conspicatur;
Virginem proceram gracilemque
Immenso in prato solitariam,
Virore amictam clarissimo
Crinitamque velut Solĭs radiis.
Illam quotidie obtuens
Quotidiano suspirabat cupidine,

Digitized by Google

Atque in dies impotentiùs flagrantiùs
Flavicomam adamabat virginem.
Sed pinguior segnisque nimium
Ad procandum non se concitabat ;
Ut persequi atque ambire feminam
Nimis socors atque otiosus.
Itaque contuebatur tantummodo
Residebat, suspirabat, exoptabat
Herbosi campi Nympham.
At, mānĕ quodam in Aquilones contuens,
Flavos hujus cincinnos aspexit
Mutatos atque albedine obtectos,
Quasi nivibus concretos candidissimis.
—" O mi frater e terrâ Septentrionali,
Albi regno Cuniculi,
Tu puellam mihi surripuisti
Manu huc longinquâ pertingens :
Tu fabulis tuis Septentrionalibus
Virginem meam conciliasti."
Sic aeger animi Aestivus
Moerore incendebat auras.
Jamque Auster per immensa pratorum
Evagabatur suspiriis fervidus,
Impotentibus Aestivi suspiriis :
Donec aër tanquam nivibus effloruit,
Pappis carduorum lanuginosus,
Virgoque illa jubare crinita
E prato evanuit prorsus ;
Neque unquam postillà Aestivus
Flavicomam aspexit virginem.
O false spei Aestive !
Non feminam tu prospexisti,
Non virginem suspiriis expetîsti ;

Digitized by Google

Sed per somniosas calorum horas
Herbam adamasti pratensem,
(*Dentem Leonis* sagae appellant,)
Quam suspiriis aegris ventosisque
Tu vagas per auras dissipasti,
Ah false animi Aestive !
  Jam, quatuor distributis ventis,
Filii tandem Magiceii
Singulis in coeli angulis
Sic quisque consistebat.
Favonium tantùm obtinuit
Ipse domi praevalidus Magiceius.

Digitized by Google

CAPUT III.

HIAWATHAE PUERITIA.

OLIM vespertino crepusculo
In diebus oblivione deletis,
In seculis memoriâ elapsis,
Plenâ lunâ decĭdit Nocōmis,
Pulcerrima Nocōmis decĭdit,
Matrona, sed nondum mater.
  Illa cum ancillis ludebat
Oscillans e labruscâ pensili,
Quando ipsius aemula atque invida,
Dolore repulsae permota,
Pendulas abscidit resticulas,
Ramulos labruscae contortos.
Illico perterrita Nocomis
Vespertino crepusculo decĭdit
In floridum prati gremium.
"En! stella cadit:" inquiunt passim.
"Stella de coelo cadit scilicet."
  Ibi, inter filices ac muscum
Atque inter lilia pratensia,
Per campos immensùm floridos
Lunâ stellisque sublustreis
Pulcra Nocomis filiam edidit,
Quam appellavit Primigenīam,
Quòd esset sibi primigena.
Haec pratensium liliorum instar
Procera gracilisque adolevit,

Digitized by Google

Virgo lunâ candidior,
Agminibus stellarum splendidior.
  Hanc saepius admonebat Nocomis
Jusso pertinaciter iterato:
"Caveto tu a Magiceio;
A Favonio te abstineto.
Illius ne auscultato vocibus:
In prato te ne projicito,
Neve inter lilia te deflectito,
Ne Favonius adveniens tibi noceat."
  Neque illa hoc monitum religebat,
Sed neglexit dicta sapientiae.
Mox vesperi advenit Favonius,
Lĕvi gressu per prata incedens.
Foliis ac floribus susurrabat
Deflectebatque herbas ac frutices:
Dein invenit pulcerrimam Primigeniam
Illic inter lilia jacentem.
Hanc dulci ambiebat alloquio
Et allicuit ad blandos amplexūs,
Donec anxio partu filium edidit,
Amoris progeniem luctuosi.
Sic natus est Hiawatha meus,
Favonii et Primigeniae mira suboles.
Sed a fallace Favonio destituta,
Nocomidis filia, alma Primigenia,
Crudeli succubuit morti.
  Diu ac vehementer Nocomis
Filiam ereptam moesta deflebat.
"O utinam forem mortua!" mussitat:
"Tunc ibi forem ego tecum,
Ubi nil est operis, nil lacrimarum:
Mortua utinam forem!"

Digitized by Google

Juxta ripas Aequoris Maximi,
Lacûs latissime relucentis,
Nocomidis stabat tugurium,
Nocomidis e Lunâ genitae.
Nigra surgit *pone* silva,
Atrâ contristata pino
Atque abiete nucamentis squameâ.
Clara jactatur *in fronte* unda
Praeter ripam Lacûs Maximi,
Unda aprica, late relucens.
Ibi Nocomis, vetula, rugosa,
Infantem alebat Hiawatham :
Cunis movebat in tiliaceis
Musco ac juncis molliter repostum,
Nervis tarandinis colligatum.
Vagitum sedans morosum, dicebat :
"St! ne ursus te nudus arripiat."
Mox sopiebat tali carmine :
"Eia! dormias, mi noctuole!
Quis hic casulam nostram illustrat?
Quisnam, oculo lato effulgens?
Eia! dormias, mi noctuole!"
Multa mox docuit illum Nocomis
De stellis, quotquot fulgent in aethere;
Cometam cum igneis crinibus ostendit
Et diram daemonum chorēam,
Qui cristis ac clavīs bellantes
Gelidis Brumae noctibus
Procul inter Borealia lucent.
Item lacteum in coelo limitem,
Tramitem manium latissimum,
Directò trameantem caelos
Refertumque mortuorum larvis.

Digitized by Google

Juxta ostium aestivo vespere
Casulae assidebat parvus Hiawatha,
Auscultans pinorum susurros
Leneisque undarum illisūs,
Sonos canoros, miras voces.
Minnewāwa, dicebant pini ;
Maduayasca, respondebant undae.
Dein per crepusculum flammeam muscam
Volitantem aspiciebat, cujus candela
Spineta dumosque illustrabat.
Tum puerilem cantabat naeniam,
Quam alma Nocomis ipsa docuerat.
"Flammea musca, candida volitans!
Mea fulgidula saltatricula,
Sursum, deorsum, circùm salisubsula!
Mihi praelucē faculâ nictans,
Antequam lecto membra reponam,
Antequam somno claudam lumina."
Lunam item videbat lacu exsurgere,
Ex aquis rugosis se incurvare,
Maculis umbrisque variatam:
Tum susurrabat: "Quid hoc, Nocomi?"
Neque alma Nocomis non respondebat:
"Vetula scilicet in Lunâ recubat."
Arcum pluvium quoties videret
Late protentum lucentemque in coelo,
Susurrabat: "Quid autem hoc, Nocomi?"
Atque illa protinus talia respondebat:
"Illic effulgent flores renati.
Quidquid est florum in silvâ incultorum,
Quidquid liliorum immensis in pratis;
Postquam in tellure emarcescunt,
Suo in Elysio superne florent."

Digitized by Google

Mediâ porro nocte si noctuas audiret
In silvâ ululanteis arridenteisve;
"Quidnam est hoc?" territus quaerebat;
Tum alma Nocomis sic explicabat:
"Noctuam tu audis cum noctuolo
Patriâ suâ in linguâ colloquenteis
Sive alloquio sive jurgiis."
Deinde parvus ille Hiawatha
Avium omnigenûm sermonem didicit,
Harumque et nomina et arteis arcanas;
Quo pacto aestate nidificarent,
Ubinam hieme se absconderent.
Hisce quoties obviam fieret, colloquebatur
*Pullos*que *Hiawathæ* appellabat.
Ferarum mox itidem didicit sermonem,
Nominaque earum et arteis arcanas:
Ut fibri casulas contabularent,
Ubinam sciuri glandeis conderent;
Tum, quam velox curreret tarandus,
Quare metueret adeo cuniculus.
Hosce, si quando forent obvii, compellabat,
Indiditque nomen, *Fratres Hiawathae.*
Deinceps Iāgo, summus jactator,
Mirandarum narrator fabularum,
Peregrinator, loquax nimium,
Ceterum amicus vetulæ Nocomidis,
Arcum confecit Hiawathae
E ramo fraxineo figuratum,
Cum sagittis e quernâ virgâ
Silice praefixis, pone pennatis,
Proque nervo intendit pellem cervinam;
Atque ille Hiawathae dixit:
"In silvam abi, mi puer,

Digitized by Google

Eò ubi cervi congregantur.
Grandem tu capream occidito,
Cornutum nobis damam afferto."
  Foras protenus in silvam
Solivagus incessit Hiawatha
Exsultanter, cum arcu et sagittis ;
Circùmque ac suprá aves,
"Ne nos tu ferias," cănebant.
Iterabat rubecula, cyaneola,
"Ne nos tu ferias, Hiawatha !"
  Super quercum proximam juxtà
Exsiluit sciurus erectâ caudâ,
Seque induens exuens frondibus
Tussivit, garrivit e quercu,
Ridens ; atque inter ridendum,
"Ne me ferias, Hiawathä !" inquit.
  Jamque e semitâ cuniculus
In obliquum prosilit : ibi longè
Natibus insīdit erectus,
Et metuens et simul lusurus ;
Isque juveni inquit venatori :
"Ne me tu ferias, Hiawatha !"
  Istis ille neque animum neque aureis dedit,
Ut qui de cervis tantùm cogitaret.
Horum observabat vestigia,
Quae ad amnem deferebant oculos
Ipsumque ad amnis vadum ;
Et tanquam somnians procedebat.
  Inter alnorum dumos reconditus
Cervorum adventum opperiebatur,
Donec cornua duo sensit sublevari,
Duo oculos e dumeto prospicere,
Duo nareis ad ventum dirigi :

Digitized by Google

Mox desilit dama in semitam,
Umbris foliorum distinctam.
Sane palpitabat cor venatoris,
Velut superne tremebant circà
Betularum folia ac frondes,
Dum fera semitam decurrit.
  At uno suffultus genu
Hiawatha emisit sagittam.
Vix virgula dimovebatur,
Vix folii excitabatur sonus,
Tamen resilit dama praevigil,
Conjuncto pedum nisu supplodens ;
Uno pede sublato auscultat,
Dein prosilit ut sagittae occursurus.
Heu ! canorâ illâ ac dirâ sagittâ,
Velut a vespâ stridente, pungitur.
  Illic occubabat in silvâ
Citra amnem circa vadum,
Nec jam hujus cor palpitat.
Atqui cor scilicet Hiawathae
Gaudio hauritur exsultante,
Ut feram domum reportat,
Iagonis atque carae Nocomidis
Laude plausuque fruiturus.
  E pelle hujus damae Nocomis
Pallium fecit Hiawathae.
Ex carne damae Nocomis
Epulum in honorem ejus fecit.
In convivium venit omnis vicus,
Cunctique collaudavere Hiawatham.
Acrem animi sane appellabant,
Aequabantque mergo glaciali.

Digitized by Google

CAPUT IV.

HIAWATHAE PEREGRINATIO AD OCCIDENTEM.

JAMQUE ex pueris Hiawatha meus
In adolescentem creverat,
Artibus venatoriis peritum,
Senum sapientiâ instructum,
Idoneum seu juvenum ludis
Seu solertiae ac laboribus virorum.
De patre suo atque de matre
Multa interrogabat Nocomida,
Resque arcanas didicit:
Tum cor urebatur intus
Velut vivis prunis flagrans.
Ergo dixit vetulae Nocomidi:
"Ego Magiceium adibo,
Utque se habeat, ediscam
Illic in Favonii ostio,
Ad portas occidui solis."
Itaque casulâ egreditur Hiawatha,
Itineri et venando paratus,
Tunicâ cervinâ indutus, cum tibialibus,
Pennarum fistulis ac murice opimis.
In capite pinnas gerit aquilarum,
In ventre balteum murice gemmatum,
In manu arcum fraxineum
Cui nervus tarandinus intenditur.
At in pharetrâ quernae erant sagittae,

Digitized by Google

Iaspare praefixae, pennis alatae,
Sumsit porro caestus digitaleis
Atque ocreas vi magicâ imbutas.
  Admonens dixit vetula Nocomis:
"Hiawatha! caveto ne prodeas
In longinquum Favonii regnum.
Ne magicâ te arte necet."
  Tamen Hiawatha intrepidus
Muliebri monito non auscultat,
Sed in silvam se projicit,
Gigantum incessu progrediens.
Luridum superne caelum,
Lurida infra terra videbatur,
Aërque circa suffocare,
Fumo atque igne spissus
Ut pratorum ac nemorum incensorum.
Etenim intus cor urebatur,
Velut vivis prunis flagrans.
Itaque processit ad Occidentem semper,
Pernicibus cervis pone relictis,
Relicto antelapho ac bonasso.
Esconabii trajecit torrentem,
Trajecit maximum Missisippium;
Mox monteis camporum herbosorum,
Corvinosque ac Vulpinos praeteriit,
Et pone Nigripedum sedeis
In ipsius Favonii regnum
Ad monteis Saxosos pervenit;
Quorum in cacuminibus procellosis
Consederat vetus Magiceius
Ventorum caelestium regnator.
  Hiawatham aspectus patris
Pavore verecundo commovit.

Digitized by Google

Quippe crines nubivagi sine more
Per aëra circum jactabantur
Contorto fulgore diffluentes;
Candidi tanquam nives ventilatae,
Fulgidi velut jubae cometarum.
  At gaudio elatus paterno
Magiceius Hiawatham intuetur,
Cujus in vultu juvenali
Ipse suam juventam recognovit,
Et Primigeniae quasi ex sepulcro
Formam conspicatur resurgere.
Quare benignâ patris sapientiâ
Venustam Hiawathae proceritatem
Admirans exsultansque contemplatur.
  "Exoptatus, O Hiawatha! (inquit)
In Favonii regnum pervenisti.
Te exspectavi diu.
Amabilis est juventus, solitaria senectus,
Ignea juventus, senectus gelida.
Refers tu mihi dies longinquos
Amoresque juventae ac pulcram Primigeniam."
  Multos tum dies colloquebantur unà,
De multis rebus interrogant, auscultant,
Immorantes, mutuo respondentes:
Primo de Hiawathae fratribus,
De Matutino Subsolani domino,
De Aestivo Austri rectore,
De Arctico Aquilonibus potente:
Tandem de matre Hiawathae
Primigeniâ, Telluris stellâ,
De partu floridis in pratis,
De morte ejusdem desolatâ,
Qualia Nocomis pridem memoraverat.

Digitized by Google

Tum Hiawatha incandescens aït :
" Tu, mi pater, Primigenïam necasti,
Vitam juvenculam pulcerrimam eripuisti,
Confregisti Lilium pratorum,
Tuis sub pedibus obtritum.
Meâ me matre orbasti :
Illud tute ipse es fassus."
At Magiceius, pollens vi validâ,
Canitie jactatâ per auras,
Deflexit caput excruciatus,
Nutu oculorum assentiens.
Tum surgens subito refugit
Filii oculos evasurus,
De montibus se praecipitans
Ad occidentem triduum continuum
Gressibus effuse incompositis.
Sed rursus Hiawatha persequitur
Contendens Favonii in ostium,
Ad portas occidui solis,
Ad extremum telluris confinium,
Eò ubi in spatia inania
Demergitur sol, ut phoenix
Noctifuga in nido delitescit
Tristibus obsessa paludibus.
" Siste," tandem inquit Magiceius,
" Siste gressum, mi fili Hiawatha !
Nondum huc te fata evocant.
Domum ad tuam gentem redi ;
Ibi degito, ibi laborato :
Telluris pesteis exterminato :
Piscarias atque amneis expurgato :
Occidito belluas ac veneficos,
Sicut ego Regem ferarum,

Digitized by Google

Ursum montanum, interemi.
Demum, quum tibi Mortis oculi
Per tenebras horrendi affulgebunt,
Ego tecum regnum communicabo.
Exinde tu Cauri accipies,
Venti Penetralis, regimen."
  Ergo domum redit Hiawatha,
Ruris prospectu jam laetus,
Caelique auris perfruens ;
Etenim ira discesserat acerba,—
A mente ultionis meditatio,
Ab animo febriculosus ardor.
  Sed gressum tardavit semel,
Semel tantummodo moratus est,
Ut a vetere sagittarum fabro
Mucrones sagittarios coëmeret
Mediâ in regione Dacotarum,
Ubi praecipites Minnehāhae
Per querceta fulgent aquae
Inque vallem ridentes desiliunt.
  Ibi vetus sagittarum faber
Ex arenaceo saxo atque ex achate,
Ex silice atque iaspăre confingebat
Mucrones sagittarum acutissimos,
Eduros, usque ad aciem politos,
Impenso coëmendos pretio.
Apud eum habitabat filia
Nigris oculis decora,
Ut ipsa Minnehāha versatilis,
Mobilis inter umbram ac jubar,
Vultu arridente seu adducto,
Pedibus instar undarum rapidis,
Cincinnis instar undarum fluentibus,

Digitized by Google

Risu instar undarum canoro.
Ergo ex aquis eam nominaverat,
Ex aquis illis praecipitibus,
Minnehāham, *aquam ridentem.*
  Num ergo propter mucrones sagittarum
Ex achate, silice seu iaspăre
Tunc in regionem Dacotarum
Hiawatha deflexit iter ?
An non ut puellam videret,
Quoties vultus Aquae Ridentis
Velo casulae submoto emergeret ?
Utque audiret vestium sonum
Pone fluitans velum labentium,
Ut inter ramos, pone nemus, aquae
Elucent, strepitant desilientes ?
  Quis dicat, juvenum in corde
Quot igneae meditationes alantur ?
Quis pulcerrima narret somnia
Hiawathae tunc cordi redundantia ?
Ceterum suam ad casulam redux
Cum vespere, Nocomidi multa
De patre Magiceio enarravit
Deque illius praecipite fugâ ;
Sed nihil de sagittis illis dixit,
Nihil de Aquâ Ridente.

Digitized by Google

CAPUT V.

ZEA. (*The Maize.*)

AUDIETIS qualia Hiawatha
Jejunus in silvis exoraverit;
Non ut venaretur peritius
Neque ut piscaretur prosperius;
Non ut in pugnâ devinceret,
Et inter bellatores claresceret;
Sed ut populo prodesset suo
Cunctasque genteis bearet.
  Primùm in jejunia casulam
Mediâ in silvâ contexuit,
Lacûs Maximi prope ripam,
In jucundo Verĭs mense
Novis foliis exuberante;
Ubi, aurâ divinâ afflatus,
Per plurimas visionum species
Septem jejunavit dies.
  Primo jejunii die
Per foliosa nemora vagabatur.
Damam e dumo videbat exsilire,
Cuniculum in antro latēre.
Phasiani audivit bombum,
Glandeisque congerentem crepitanteis
Sciurum erectâ caudâ.
Itidem palumbem inter pinos
Nidificantem aspexit;

Digitized by Google

Mox gregatim anseres niveos
Palustria Boreae petenteis
Cum vocisque et alarum clangore.
" O Domine Vitae ! " dubitanter inquit,
" Num nostra ex his pendet vita ? "
Altero jejunii die
Praeter amnis marginem vagabatur.
In prato inculto oryzam videt,
Ipsam incultam et parum copiosam ;
Et multâ specie baccas plurimas
Myrtilli, fragi, seu grossulariae ;
Mox vitem uviferam palmite pensili
Alneis super ramis latè profusam,
Unde et passim fragrabant aurae.
" Domine vitæ ! " diffidenter inquit;
" Numne ex his nostra pendet vita ? "
Tertio jejunii die
Lacui assidens meditabatur
Juxta aquas tranquille limpidas.
Squalum exsultantem conspicatur
Guttas spargentem velut gemmas muriceas;
Lūteamque percam, ut jubar sub aquâ,
Lupumque et harengam et astacum.
" Domine vitae ! " fracto inquit animo ;
" Anne ex his pendet vita nostra ? "
Quarto jejunii die
Debilitatus jacebat in casulâ,
A cubili e foliis ac frondibus
Prospectans palpebris torpidis
In confusa ac nigrescentia omnia,
Somniis et vertigine referta ;—
In aquas renidenteis subter ;
In solem splendidè delabentem.

Digitized by Google

Tandem viridi ac croceo vestitu
Quendam sentit adolescentem
Per purpureum crepusculum appropinquare,
Per splendores occidui solĭs.
Fronti hujus imminent cristae virides,
Capilli mollissimi auro relucent.
In aperto ostio astans
Hiawatham aspexit diu,
Marcidi vultûs miserens :
Mox, molliter ut Auster quondam
Per arborum cacumina suspirat,
Tali voce, "O Hiawatha !" inquit,
"Ad coelum tuae pertingunt preces,
Quia neutiquam, ut ceteri, oras,
Aut ut vēnēre peritius
Aut ut piscēre prosperius ;
Neque ut in pugnâ devincas,
Et inter bellatores clarescas ;
Sed ut populo prosis tuo,
Atque omneis populos bees.
A Domino Vitae descendens,
Homini amicus Zeānus,
Vēni te admoniturus,
Quonam decertans pacto
Rogata tu tua evincas.
E frondeo cubili insurgens,
Mecum, O adolescens, luctare !"
Hiawatha, famē languidus,
E frondeo cubili assurgens
In occidui solĭs rubores
Prodiit, cum Zeano luctaturus.
Ipso recreabatur contactu,

Digitized by Google

Ut novâ repletus vitâ ;
Jamque spes et audentia et vigor
Per pectus nervosque subsultant.
  Ibi sub rutilante vesperi
Colluctabantur sine fine :
Sed quanto certant vehementius,
Augetur vis Hiawathae,
Donec ruunt circum tenebrae
Atque ardea suis e latibulis
Inter paludes strepitans
Dolorem ac famem profitetur.
Tunc Zeanus, "Jam satis est,"
Hiawathae arridens inquit :
"Sed cras, sole occidente,
Iterum te venio probatum."
  His dictis, illico evanuit :
Utrum, velut pluvia, absorptus,
Anne, velut nebula, dispersus,
Neque vidit neque sciebat Hiawatha.
Evanuisse modo illum sensit,
Seque desolatum deficere,
Dum lacus patet subter nebulosus,
Et superne natant astra.
  Cras atque postero die ;
Quando Sol per coelum descendens,
Tanquam pruna rutila atque ardens
E Numinis Supremi foco,
In aquas occiduas degreditur ;
Venit Zeanus in certamen,
Venit probaturus Hiawatham,
Adventu obscurus, ignotus,
Ut ros ex inani appāret
Et rursus in inane redit,

Digitized by Google

Tactu telluris concrescens,
Sed in commeatu aciem effugiens.
  Ter sub rutilante vesperi
Illic colluctantur,
Dum ruant circùm tenebrae
Atque ardea palustribus ex latebris
De fame queratur stridens :
Id auscultans Zeanus substitit.
Procerus appāret formosusque
In viridi suo ac croceo vestitu,
Sudore ex illo certamine
Tanquam roris guttis perfusus,
Dum cristae huc illuc quassatae
Anhelitui ipsius annuebant.
  Tum fatur : "O Hiawatha!
Fortiter mecum certasti,
Triplici colluctatus discrimine.
Tibi ergo triumphum dabit
Dominus Vitae, qui nos intuetur."
Super his, "Cras," inquit arrīdens,
"Ultimus erit certaminis dies
Et ultimus tibi jejunii.
Me postquam tu deviceris,
Effossum cubile parato,
Ubi pluviae desuper ingruant,
Ubi sub solĭs vultu tepescam.
Hunc tu vestitum viridem croceum,
Cristas has trementeis, despoliato :
Humum mihi, defosso subter,
Mollem, laxam, lĕvem facito.
Dormientem ne manŭs hominis,
Ne vermis, neve corvus, me vexet,
Neve noxiae herbae strangulent.

Digitized by Google

Tu modò ipse obiens custodito,
Donec evigilabo ac vivus resurgam,
Exsiliamque in apricum jubar."
  Talia effatus discessit.
At per quietem Hiawatha
Caprimulgum vociferari audiebat
Casulae solitariae insidentem,
Torrentemque allabi juxtà
Garrientem nemori caliginoso.
Suspiria sentiebat frondium
Aurâ nocturnâ submotarum :
Haud secus, quàm quis dormiens
Murmura audit longinqua, susurros somniorum.
Sic tranquille quiescebat Hiawatha.
  Postero autem die Nocomis,
Septimo illo jejunii die,
Cibum Hiawathae advehens
Cum precibus ac fletu venit,
Ne fame devincatur
Et per jejunium pereat.
Atqui ille neque gustavit neque tetigit ;
Dixit tantummodo, "O Nocomis !
Opperitor occasum solis,
Dum tenebrae circum ruant,
Quando e vastis suis paludibus
Stridulâ voce ardea
Proclamabit finitam lucem."
  Domum Nocomis flens redit,
Hiawathae suo timens,
Ne nimio jejunio emoriatur.
Ast ille, sessione defessus,
Adventum Zeani exspectat,
Donec umbrae, longioribus lineis

Digitized by Google

In Orientem trameantes,
Agros saltūsque interstinguant.
Sol tandem coelo decĭdit
Occidentis fluctibus innatans,
Sicut rubrum Autumni folium
Deciduum aquis insīdit
Gremioque aequoris sorbetur.
  Atque ecce! adolescens Zeanus
Cum molli crine relucente,
Cum viridi ac croceo vestitu
Et procero cristarum splendore,
Stans in ostio, annuit manu.
Tunc, ut qui dormiens ambulat,
Marcore pallidus, sed intrepidus,
E casulâ exiit Hiawatha,
Cum Zeano luctaturus.
  Mox rura rotantur vertigine,
Permistis coelo ac silvis;
Et forti in pectore subsultat
Cor illi, ut acipenser vi multâ
Retia rupturus prosilit.
Tanquam annulus ignis rutili,
Circùm flagrabant infima coeli;
Quasi centum uno in orbe sōles
Illum luctatum contuerentur.
  At repente solus Hiawatha
Viridi in herbâ astat relictus,
Certamine anhelans effreno;
Coràmque exanimus jacet
Passis crinibus adolescens,
Cristâ vestituque discisso,
Mortuus sub sole occidenti.
Deinde, ut jusserat Zeanus,

Digitized by Google

Fossâ Hiawatha cavatâ
Despoliavit vesteis cristasque,
Corpusque commisit humo
Molli ac laxae lĕvique.
At tristibus ex paludibus ardea
Instrepens profitetur angorem.
  Carum ad domicilium Nocomidis
Tum demum redit Hiawatha
Completis jejunii diebus.
Sed neque locum illius luctationis
Obliviscitur, neque illam fossam
Ubi dormiens jacet Zeanus
Sub pluviâ seu apricis solibus,
Cum vestibus ac cristâ marcente.
Quotidie custodiebat Hiawatha,
Nigram suprà humum molliens.
Insectas noxiasque herbas
Expurgat, infestoque strepitu
Regem corvorum abigit.
  Et tandem plumula virens
E terrâ lentè submittitur ;
Mox altera atque altera provĕnit :
Denique ante finitam aestatem
Ibi pulcerrima constitit
Zeae Indicanae seges,
Molli vestitu relucens,
Procēris aureis cincinnis.
Tunc aestu abreptus gaudii
Magnâ voce inclamat Hiawatha :
" Ecce huc redŭx Zeanus !
En seges homini amica ! "

Digitized by Google

* * * * * * *

[*Fragmentum e seriore capite.*]

Ergo canendum nostro in carmine
De posterâ annorum felicitate
Per agros Ojibbawaiarum
Amoenos illos ac pacatos.
Defossâ sĕcuri cruentâ,
Defossâ bellatoris clavâ,
Cum ceteris belli telis,
Obsoleverat cantus praeliorum
Pacatos inter populos.
Venatores metu immunes
Huc illuc evagabantur.
Contextis betuleis cymbis
Piscabantur in lacu vel in amnibus.
Cervum sagittâ, fĭbrum pedicâ
Captabant: mox, viris absentibus,
Tutâ feminae domi operâ
Acernum cogebant saccharum,
Oryzam e pratis colligebant,
Pelleisque cervinas ac fĭbrinas
Depsebant patrium ad morem.
Beatis circumcirca vicis
Constiterunt segetes ex zeâ,
Ubi viridis lucebat Zeanus
Cristis annuens aureis
Cum apricis mollibusque cirris,
Copiâ terram replens.

Digitized by Google

Feminae ipsae vernam sub horam
Agros fertileis latè serebant
Defosso subtus Zeano.
Feminae item, quum vi Auctumni
Segeti flavescit foliorum viror,
Et grana mollia succida
In flavum muricem durescunt;
Maturas carpebant aristas,
Marcidas destringebant glumas,
Ut quondam luctatorem Zeanum
Despoliavit Hiawatha,
Qui primus *Epulum* fecit *Zeani*,
Atque omni populo promulgavit
Novum Daemonis Supremi donum.

Digitized by Google

CAPUT VI.

AMICI HIAWATHAE.

Duos prae ceteris amicos
Hiawatha unice diligebat
Intimâ devinctos necessitudine;
(Quibus, sive gaudens sive dolens
Dexteram cordis porrigebat;)
Chibiabum, musicae peritum,
Atque hominum validissimum *Quasindam*.
  Aperta inter hos tres semita
Nunquam est situ obsessa.
Ergo rerum mălarum vulgatores,
Aves fallaciam garrientes,
Auribus delata hausturis
Carebant, neque inter hosce
Simultates poterant serere.
Nam inter se aperte colloquentes
Consilia mutuo reticebant,
Dum ponderant atque excogitant
Ut humanas prosperent genteis.
  Carissimus longe Hiawathae
Lenis ille Chibiabus fuit,
Manu peritissimus musicae,
Voce cantare suavissimus.
Pulcer ille et perquam simplex,
Fortis vir, femineâ teneritate,
Flexilis instar salignae virgae,
Ut cervus cornutus eminens.

Digitized by Google

Ille quoties caneret, vicus auscultabat,
Omnibus congregatis bellatoribus,
Omnibus circumfluentibus feminis;
Quibus excelsum nunc injiciebat animum,
Nunc mollem misericordiam ciebat.
Tibias e cavis calamis
Tam canorâ lenitate finxit,
Ut torrens agresti in dumeto
Sua cohibuerit murmura,
Avesque cantu destiterint,
Et sciurus caudâ erectâ
In quercu desiverit garritum,
Et cuniculus voce delenitus
Natibus suppositis insederit.
Atqui torrens, cursu fluminis
Tardato, "Chibiabe!" inquit;
"Molliter ut vox tua cantat,
Sic fluctūs meos doceas sonare."
Porro fringilla cyaneola
"Chibiabe!" inquit invida;
"Cantūs sine more protervos,
Velut tuos, effreneis me doceas."
Quin rubecula, plena gaudio,
"Mĕlŏs, O Chibiabe!" inquit,
"Dulce ac tenerum tu doceas me,
Velut tuum, abundans laetitiâ."
Mox, tristi plorans singultu,
Caprimulgus, "Chibiabe!" inquit,
"Luctuosos me doceas sonos,
Acerbos, instar tuorum."
Nam quidquid sonat Natura,
Ex hujus linguâ sonabat suavius;
Et quidquid cor hominum emollit,

Digitized by Google

Tenerioribus eloquebatur numeris.
Quippe canebat de pace ac libertate,
De venustate, suspiriisque amoris,
De morte, deque vitâ in insulis
Illis beatorum immortali,
In Regni terrâ Futuri.
  Carissimus sane Hiawathae
Fuit ille lenis Chibiabus,
Omnium peritissimus musicae,
Omnium cantare dulcissimus.
Hunc propter lenitatem diligebat
Et propter carmen effascinans.
At carus fuit item Hiawathae
Mortalium validissimus Quasinda,
Vi corporis longe ceterorum
Vireis hominum exsuperans.
Hunc ipsas ob vireis diligebat,
Quippe merae bonitati addictas.
Qui quidem arbores portabat humero,
Cedros tanquam lanceas projiciens:
Retia digitis, ut stramenta, rumpebat,
Et scopulos eruebat e sedibus.
In decursu amnis rapido Pautingis
Fibrorum Regem ut vidit luctantem,
Imos in gurgites demersus ipse
Fibrum retulit undis suffocatum.
  Tale fuit, ut memoravi,
Par amicorum Hiawathae.
Diu concordes degerunt
Corde aperto colloquentes,
Dum inter se multa excogitant,
Ut humanas prosperent genteis.

Digitized by Google

CAPUT VII.

HIAWATHAE CYMBA.

(1) Betulae dixit Hiawatha,
" Gilvam da mihi corticem tu,
Quae amnem juxta rapidum in valle
Excelsa et procera crescis !
Cymbam volo lĕvem contexere,
Navigium cursu celere,
Quod summo amni innatet
Velut Auctumni folium,
Velut lūteum aquatile lilium.
Quare, O Betula ! pallam tuam
Albae cutis involucrum, exue ;
Nam adest, ecce ! aestas ;
Sol in caelo calescit,
Neque jam tegumento est opus."
Talia magnâ voce Hiawatha
Sōlum per saltum insonuit
Rapide delabenti Taquamenavio,
Dum aves superne hilariter
Mense florifero cantillabant ;
Et caelorum lumen maximum
Sol experrectus somno,
Exsiliens clamabat, " Ecce me !"
At arbor in aurâ matutinâ
Cunctos per ramos agitata

Digitized by Google

Cum suspirio dixit patiens,
"Ergo capias tu pallam meam."
Tum cultro amputavit corticem
Infimis sub ramis supra,
Summis super radicibus infra,
Donec exsudaret succus.
Mox truncum desuper ad imum
Dissecuit plane corticem,
Quam, ligneo sublevatam cuneo,
Integram trunco detraxit.
(2) "Ramorum, Cedre! tuorum aliquot
Validorum da mihi, ac flexilium,
Qui cymbam mihi constabiliant,
Addantque infra firmitatem."
Cedrum pertentavit summam
Horror atque ejulans querela,
Quasi contumaciam mussitans:
Tamen deflexa susurravit,
"Ramos meos, si vis, capias."
Jam cedrinos ramos succīdit
Atque in compaginem fabricatur
Instar parium compositorum arcuum.
(3) E contortis tuis radicibus,
O Larix! da mihi aliquot,
Quae cymbae bene colligent
Oras, ne madefiam,
Irrumpente undâ fluvii.
Tum cunctas per fībras larix
Aurâ matutinâ inhorrescens,
Cirris suis fronte ejus tactâ
Longùm suspiravit moerens:
"Ergo cunctas, Hiawatha, capias."
Ille tenaceis laricis fībras

Digitized by Google

Vi multâ erutas ex humo
Cum cortice ipsâ consuit,
Cum compagine astricte colligat.
(4) "Balsamum da mihi," inquit,
"Rēsīnamque tuam, O abies!
Quâ suturas arcte conjungam
Fluvii undam exclusuras,
Ne irrumpens me madefaciat."
Atque abies procera et pullata
Per nigrantia sua vestimenta suspiravit,
Instarque littoris lapillis plangentis
Fletu luctuoso respondit:
"Ergo balsamum tu capias meum."
Itaque balsami cepit lacrumas
Et rēsīnam ex abiete multam,
Quibus oblĭta unaquaeque sutura
Ac rima excluderet aquam.
(5) "Spinas mihi tuo ex corpore,
O Erinacee," inquit, "da cunctas;
Quibus collarem fabricer catellam
Ac cingulum Veneri meae,
Duasque stellas thoraceas."
Ex cavâ arbore Erinaceus
Oculis circumspectans veternosis,
Spinas, sagittarum instar,
Humi lucenteis projecit,
Per implexam narium barbam
Inter sopores murmurans:
"Ergo capias tu spinas meas."
Ille ex humo collectas spinas
Radicum ac baccarum succo
Tinxit in varios colores,
Rubrum, caerulum, croceum.

Digitized by Google

Has cymbae interstinxit,
Lucidum ventri cingulum,
Prorae fulgentem torquem,
Par stellarum pro mammis micans.
  Sic betulea cymba in valle
Propter amnem est contexta
Ipso in gremio silvae.
Ergo vita inerat silvestris,
Horrenda sane ac magica;
E betulâ sua levitas,
E cedro suum robur,
E larice nervorum lentitudo.
Jamque innatabat amni
Velut auctumnale folium,
Velut lūteum aquatile lilium.
  Neque erant remi Hiawathae,
Neque remige omnino opus erat.
Nam ipsius voluntate cymba
Et nutu animi movebatur;
Velociter, lente, dextrà, sinistrà,
Progrediens, recedens, se convertens.
  Tum amicum illum validissimum
Quasindam opitulatum accersit,
Ut ex amne stipites demersos
Et arenaceos pulvinos expurget.
Quasinda directe in amnem
Demersus subtèr vagabatur
Lutrae seu fĭbro compar:
Vel, humeris tantùm exstans,
Eruebat ramos, stipites,
Manibus egerebat arenam,
Pedibus eradicabat algam.

Digitized by Google

Sic violenti Taquamenavii
Praeter multipliceis amfractūs
Descendit Hiawatha meus,
Gurgites ac vada praetervectus,
Dum validus ille Quasinda
Gurgites praenatabat, astabatve in vadis.
Sursum deorsum, amnem pervagantes,
Huc atque illuc, inter insulas,
Objicibus alveum liberavere,
Veteribus extractis arboribus,
Glareâ syrtium dissipatâ,
Donec tutum foret ac certum iter,
Viâ populis apertâ fluviali,
E montanis aquarum fontibus
Ad flumina Pautingis,
Ad Taquamenavii usque sĭnum.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

HIAWATHAE PISCATIO.

FORAS in aequor maximum,
Lacum latissime relucentem,
Cum piscatoriâ suâ lineâ
E tortâ cedri cortice
Solitarius exiit Hiawatha
Cymbâ laetus betuleâ,
Regi piscium squalo acipenseri
Insidias hamo facturus.
  Per claritatem aquae pellucidae
Inter profunditates procul
Pisceis cernebat natanteis,
Interque hos lūteam percam
Veluti jubar in gurgite ;
Et in altâ subtùs arenâ
Astacum, instar araneae
Ipso in fundo rēpentem.
  Hiawathae in puppi sedentis,
Cum lineâ e cedro piscariâ,
Cristas aura matutina
Agitabat, ut cicutarum ramulos,
Sciuri, in prorâ cymbae
Caudâ erectâ sedentis,
Villum aura matutina
Agitabat, ut herbas campestreis.

Digitized by Google

Atqui in albâ fundi arenâ
Jacebat ingens piscium Rex
Squalus acipenserum maximus,
Branchiis aquam respirans,
Pinnis ut vanno plangens,
Caudâque detergens glaream.
Gravi contectus armaturâ
Jacebat, utrimque scutatus,
Osse munitus frontem plano,
Sed latera, dorsum, humeros
Spinis horrens osseis.
Pigmentis autem bellicis distinguitur,
Trabeatus croco, rubro et caerulo
Mixtis fusci nigrique maculis.
Illic in fundo jacebat
Pinnis purpureis leniter plaudens,
Dum cymbâ in betuleâ
Supra vehebatur Hiawatha
Cum piscariâ e cedro lineâ.
"Escam cape meam, O squale!"
In profunda clangit desuper Hiawatha.
"Aquis egressus experire,
Uter sit nostrûm validior."
Tum demissâ sub aquas limpidas
Cedrinis corticibus escâ,
Responsum frustra exspectabat:
Diuque oppertus, hostem sonitu
Provocat etiam clariore.
Sed lente verrens, squalus subtèr
Quiescit suspiciens, auscultans.
Tandem lupo aït: "Heus tu!
Improbi illius escam arripe,
Lineamque praemorsam aufer."

Digitized by Google

At vero Hiawatha, dedignans
Quando lupum videt appropinquare,
Repudiat objurgans hostem,
Isque victus pudore demergitur.
Orthagorisco dein *Molae* eadem
Imperat squalus ; sed itidem
Quando hic, re infectâ, rediit,
Tunc Rex ipse piscium, commotus
Ex albâ fundi arenâ,
Iracundo corporis gestu
Penitus per nervos quatitur.
Laminas armaturae clangit,
Pigmentis fulgidissimus bellicis ;
Mox in apricum jubar
Saltu subjicitur concitatissimo :
Et (posteros si oportet credere,
Quae atavi tradidere miracula,)
Faucibus absorpsit ingentibus
Et cymbam et Hiawatham.
Atqui hic tenebrosâ in cavernâ,
Ut caudex nigro in flumine
Caecus decurrente praecipitatur,
Tamen vi validâ connisus
Et mănibus circumcirca palpans,
Cor squali strenuus avellit :
Atque is demortuus illico
Ad summas aquas submittitur,
Ubi vix per fauceis maximas
Et aura et lux intrabat.
Jamque hilari cum garritu sciurus
Saltu projectus in ostium
Caudam ad auras praepandit,
Quo remige squalus ingens

Digitized by Google

In ripam sensim devehitur
Cum cymba et cum Hiawathâ.
  Tum gratus animi exclamat Hiawatha :
" Sciure ! amice mi parve !
Operam navâsti fortissimam,
Grateis nomenque meritus.
Ergo exinde te sempiternò
Pueri *pandicaudam* vocitabunt."
  Jam squalus in ripam illisus
Lapillorum ciet stridorem,
Atque extemplo Hiawatha exsilit.
Hic dum ad Nocomida redit,
Plurima gaviarum nubes
Descendit in squali cadaver.
Neque ille deturbat gavias,
Volucreis hominibus amicas,
Sed Nocomidi benignus ait :
" Harum satietatem opperire,
Ut, ventribus epularum plenis,
Ad palustrium nidorum Penateis
Cum sole occiduo avolent.
Tunc, quidquid ollarum habes aut ahenorum,
Allato, in usum brumae
Sebaceum nobis unguen concoquito."
  Illa solis occasum exspectat,
Quoad sol Noctis pallidus
Aequori luna tranquillo
Instaret, et satures gaviae
Ex epulo strepitantes surgerent.
Hae per igneis caeli occiduos
Insulas alis longinquas
Junceosque nidos petebant.
Tum, dormiente etiam Hiawathâ,

Digitized by Google

Nocōmis sub lunâ edurabat
Laboribus consumens horas,
Donec sol ruber exsurgens
Argenteae lunae succederet.
Deinde a juncetis insularibus
Famelicae remeantes gaviae
Escam matutinam reflagitant.
Sic triduum ac trinoctium alternae
Gaviaeque et vetula Nocōmis
Adipem praedae exuebant,
Dum undae costas permanârunt,
Nec quidquam in arenis amplius
Restitit praeter osseam compaginem.

Digitized by Google

CAPUT IX.

MAGI CAEDES.

In littoribus aequoris lati,
Lacûs immensùm relucentis,
Astabat Nocōmis vetula,
Indice digito super aquâ
Occidentem denotans regionem
Inter purpureas vesperis nubeis.
Sol rutilus delapsu atroci
Caelo inurebat semitam,
Incendia pone se spargens ;
Sicut hostis, qui immensis in pratis
Lentâ recedit fugâ,
Sua vestigia incendit.
Mox, nocturni instar solis,
Luna, pleno ore adversa,
Ex insidiis repente insurgens,
In cruentâ fratris orbitâ
Urget, vultu discolor
Ex igneo illius fulgore.
Tum vetula Nocōmis ad occasum
Indice digito denotans,
Talia Hiawathae aït :
"Illic habitat magorum maximus,
Divitiarum ac muricis daemon,
Margariteâ pennâ insignis ;
Cujus in stagno piceo

Digitized by Google

Maximos serpenteis igneos
Contortos ludenteisque videas,
Custodes illius tremendos:
Ast aqua stagni picea
Longe lateque atra pertingit
Ad purpureas usque nubeis vesperis.
Teterrimus ille magorum omnium
E paludibus febrem albamque nebulam,
Venenatos pestium vapores,
Cum morbo ac morte nobis immittit.
Ergo clavam cape atque arcum
Cum sagittis iaspare praefixis,
Caestusque, et betuleam cymbam
Sebo squali latera perunctam,
Ut per atrorem aquae piceae
Velociter praetervectus occīdas
Magum hunc immisericordem,
Et populum e febre lībĕres,
Quam e locis uliginosis exhalat."
Illico tunc Hiawatha meus
Paratu se bellico instruxit,
Et betuleam deduxit cymbam.
Hujus latera manu palpavit,
Laetusque "O mea!" inquit,
"Ubi igneos serpentes videbis,
Ubi piceum flumen, prosilīto."
Tum prorsum exsilit cymba,
Sublimisque animi Hiawatha
Tristem sine more cantum belli
Clangit: sed voltur superne,
Ales ille belli maximus,
Volucrium dominus pennatarum,
Stridens caelum pervolat.

Digitized by Google

Serpenteis celeri cursu igneos,
Ingenti protentos corpore
Ipsum trans aditum contorto,
Commotam per aquam splendenteis
Cristis ardentibus sublatis,
Nebulamque vaporosam exaestuanteis,
Accedit Hiawatha; et intrepidus
Arrepto arcu fraxineo
Sagittas iaspare praefixas
Inter serpenteis profudit.
Quoties nervus insonuit arcui,
Toties acclamat vox belli;
Quoties stridit ex arcu sagitta,
Toties morte ejulat serpens:
Donec omnes nuper ignei
In cruentâ aquâ volutantur
Exanimes; per quos Hiawatha
Collaudans celerem cymbam
Hortatur in piceum flumen.
Proram sebo acipenseris
Ac latera probe perunxit,
Ut per atrores velociter
Praeterveheretur stagni picei.
Totam per noctem navigabat
Illâ super aquâ segni,
Situ seculorum obductâ,
Juncis atrâ putrescentibus,
Gladiolis ac foliis liliaceis
Rancidâ, stagnante, inanimi,
Horridâ, tristi; quam lustrabat
Pallide coruscans luna
Et fatua paludis lux,—
Qualem lemures accendunt ignem

Digitized by Google

In nocturnis fessi castris.
Lunâ albicabat aër,
Umbris nigrabant aquae,
Circumque culices infestissimi
Bellico cantu consonant;
Et faculas suas muscae flammeae
Agitant, erroris illicium;
Et ranarum caput turpissimum,
Luce sublustre pallidâ,
Flavis eum contuens oculis
Mox se cum singultu demersit.
Extemplo mille sibili
Super palustria ferebantur;
Necnon ardea in margine junceo
Heroïs adventum procul nuntiat.
Sic ille ad Orientem processit,
Donec luna in infimo coelo
Vacuo torpuit lumine;
Sed sol ponè calentissimus
Humeros incedentis adurebat;
Et in clivo a fronte sublato
Appāret tugurium relucens
Maximi magicae artificis.
Dein iterum cymbam hortatur,
Quae, penitus nervis commota,
Uno pervicax saltu
Liliorum, iridum, juncorum
Implexūs superavit; et illico
In ripâ ulterius siccâ
Astitit incolumis Hiawatha.
Protinus a relucente tugurio
Degreditur magus terribilis,
Procerus, humeris latissimus,

Digitized by Google

Niger, aspectu horrendus,
Totus murice obtectus,
Margariteâ fulgens pennâ,
Et telis instructus bellicis;
Pictus diluculi instar,
Virgatus ostro, caerulo, croco,
Aquilarum cristatus pinnis,
Quae sursum extrorsum prominent.
Tum maximum incipit proelium
Omnium, quotquot Sol aspexit
Vel alites bellici opperti sunt,
Totum per aestivum diem.
Loricam namque magi muriceam
Nec tela nec caestus nec clava
Valuit verberibus convincere:
Donec Hiawatham fractum animi
Picus ex arbore monebat,
Ut magum in summo capite
Inter cirros sagittâ feriret;
Ibi tantum patēre vulneri.
Tres sagittae Hiawathae restabant:
Has retinet, opportunitatem exspectans.
Tandem, dum hostis se demittit,
Saxum enorme jacturus,
Ipsumque nudat occiput,
Percutitur a victore Hiawathâ.
Jamque nihil ars magica valet,
Nec margariteae splendor pennae;
Sed igneos Mortis oculos
Per tenebris obviam cognoscit,
Caditque coram inanimis,
Ut in campo procumbit bonassus.
Tum Picum gratus Hiawatha,

Digitized by Google

Inter ramos tetricae pini
Insidentem, ad se vocat;
Et, tantam ejus operam honorans,
Cirrum cruentavit plumarum
Parvi pici in vertice:
Quem cirrum hicce puniceum
Ad hunc usque diem gestat,
Antiqua testantem merita.
  At e tugurio Hiawatha
Divitias victi extulit;
Pelleis depstas multumque muricem,
Bonassi fibrique villos,
Murium silvestrium diversarum
Nigras niveasque villosas pelleis;
Balteos, catellas, crumenas e murice,
Gemmis muriceis insigneis pharetras
Sagittis refertas, in spiculo argentatis.
Dein domum navigavit exsultans
Aquam per piceam, per angnium stragem,
Cum egregiis pugnae tropaeis,
Cum clamore et cantu triumphi.
Illic in littore consistebant,
Adventum heroïs opperientes,
Nocomis, Chibiabus, Quasinda,
Et vicus saltatione festivus.
Inde epulum fecere Hiawathae,
Qui magum occidisset teterrimum,
Albae nebulae palustris creatorem,
Auctorem febris ac lethi.
Sed Hiawatha tubuli sui scapum
Puniceis plumis exinde ornabat,
Merita illa pici commemorans;
Atque omni populo divitias magi
Benignus viritim divisit.

Digitized by Google

CAPUT X.

HIAWATHAE EXPEDITIO NUPTIALIS.

"E POPULARIBUS tuis sponsam accipito,"
Hiawatham monebat vetula Nocomis:
"Neve ignotam ex longinquo adsciscito.
Quale lare in domestico est ignis,
Tale vicini filia frugi:
Quale lux stellarum aut lunae,
Tale est pulcerrima exterarum."
Sed Hiawatha, varie distractus
Spe, metu, tenero cupidine,
Vigil somniabat de Minnehahâ,
Dacotarum virgine amabili.
Itaque respondet: "Cara Nocomis!
Gratus sane est ignis foci;
Sed mihi jucundior stellarum,
Jucundior lunae est lux."
Ast illa: "A ferocibus Dacotis
Inimicitiae et bella minantur:
Veterum bellorum patent vulnera,
Crudius fortasse exarsura."
Ille ridens: "Idcirco (inquit)
Dacotarum virginem prae ceteris
Ego mihi in connubium peto;
Ut, coalescentibus pŏpulis,
Coalescant utrorumque vulnera."

Digitized by Google

Ergo decessit Hiawatha
In regionem Dacotarum,
Pulcrarum feminarum terram;
Per rusceta collium perque prata,
Per silvas interminatas,
Per silentia desertorum incedens,
Longo labore indefessus,
Corde gressūs praevertente.
Tandem aquarum praecipitium
A decurrente Minnehahâ
Dulcia tonitrua per silentium vocantia
Pectus appropinquantis deleniunt.
Ille in margine silvae
Inter umbras ramosas ac jubar
Greges damarum pascenteis
Non conspectus conspicit.
Tum arcum hortatus ac sagittam,
"Ne me destitue! ne te deflecte!"
Rubra per damae praecordia
Telum tramisit argutum;
Et humero praedae subjecto
Festinat iter destinatum.
In tugurii ostio sedebat
Vetus ille sagittarum faber
In terrâ Dacotarum mucrones
Ex iaspare et achate concinnans;
Filia autem sedebat juxtà
Pulcra,—Minnehaha amabilis,
Componens scirpeas storeasque.
Ille de praeteritis rebus,
Haec de futuris cogitabat.
Ille de priscis venatoribus,
Quibus nemo jam viveret compar;

Digitized by Google

Haec de juvene quodam venatore,
Qui sagittas patris pridem emerat;
Quem sane pater laudaverat
Ut fortem virum atque sagacem.
Numne iterum a torrente Minnehahâ
Idem fortè sagittas petet?—
Talia meditans, vacuis oculis,
Manūs intermisit industrias.
Inter haec frondium agitatio
Et hominis gressŭs auditur:
Mox genis et fronte fervidâ
Damam in humero portans
Prodiit subitus Hiawatha.
  Illum severâ cum modestiâ
Vetus sagittarum faber
Assurgens salvere jubet.
Sed Hiawatha damam ex humero
Ad virginis pedēs deponit;
Quae leni vultu ac voce
Iterum jubet illum salvere,
Atque in tugurium invitat.
Amplum sane erat tugurium,
Cujus per altam januam
Erectus intraverit Hiawatha;
Sed cristae ex aquilis inhibent.
Parietes tugurii, de pelle cervinâ
Corticibus maceratâ, albent nitidi;
Ejusdem in aulaeis depicti
Fulgent Dî Dacotarum.
Sed Minnehaha, promto cibo,
Aquam e rivulo attulit;
Cibum fictilibus in ollis,
Potum in ligneis paterīs.

Digitized by Google

Hospitem patremque auscultat,
Neque vocem ex ore rumpit.
Auscultat quidem ut in somnio,
Dum plurima narrat hospes,
De vetulâ altrice Nocomide,
De Chibiabo vate musico,
De Quasindâ hominum validissimo,
Deque laetitiâ et opulentiâ
In regione Ogibbawaiarum,
Jucundâ terrâ ac pacatâ.
"Post bella et multum sanguinem
Inter vos et nos pax constat;"
Inquit ille: tum lentiùs perorans,
"Quae pax ut sit perpetua,
Da mihi, O pater, hanc virginem,
Minnehaham Dacotidum pulcerrimam."
At vetus sagittarum faber
Interposito silentio fumat:
Filiam paterno cum amore,
Hospitem exsultanter contuetur.
Tandem serio vultu respondet:
"Quidquid vult Minnehaha, ego volo:
Tuum pectus se explicet, Minnehaha!"
Atqui amabilis Minnehaha
Amabilior tum aspectu astabat.
Neque lubens, neque invita, sed erubescens,
Leniter Hiawathae assīdit,
"Teque (aït), O marite! sequar."
Sic sponsam ambivit Hiawatha;
Sic Dacotae sagittarum fabri
Filiam nactus est conjugem.
Hanc, mănibus mutuo junctis,
E tugurio secum duxit

Digitized by Google

Per loca silvestria, pratensia,
Senem linquens solitarium
Sui tugurii in januâ.
At praecipites amnis aquae
E longinquo alloquentes
Salvere jubebant Minnehaham.
  Senex ad laborem rediens
Apricâ in januâ sedet,
Secum murmurans admiransque,
Quòd filia dilecta et pia
Patrem senem opis indigentem
Deserit propter ignotum juvenem,
Qui pennis fulget, calamis ludit.
Hunc virgo sequitur pulcerrima,
Hospitis gratiâ relinquens omnia!
  Ceterùm decedentibus iter
Jucundum, nec longum, videbatur,
Per silvas immensùm extentas,
Per florida prata, per monteis,
Per fluvios depressasque convalleis.
Tardiùs incedebant; nam vīreis
Conjectabat ille Minnehahae,
Quam suis in brachiis portabat
Trans latissimorum amnium vim,
Nec graviorem aestimabat plumâ
Vel suâ verticis cristâ.
Impeditam aperiebat semitam,
Noctuque sub ramorum fornice
Cubile e cicutis construebat,
Igni e pineīs nucamentis
Siccis ante ostium accenso.
Cum peragrantibus peragrabant aurae
In campos pratenseis silvasque.

Digitized by Google

Illorum somnum stellae
Insomnes noctu intuebantur.
Ex quernis insidiis sciurus
Ācer amanteis aspexit:
Necnon cuniculus, de semitâ
Cursu citato elapsus,
Natibus insīdens, amanteis
Suo ex antro observat.
  Viatoribus dulcia aves carmina
De laetâ tranquillitate canebant.
"Macte tua felicitate, Hiawatha!"
Inquit cyaneola, "quòd talem habes
Te amaturam conjugem."
"Macte tuâ quŏque felicitate,"
Rubecula recantat, "O Minnehaha!
Quòd maritum habes egregium."
  De caelis Sol benigno
Inter ramos vultu effulgens,
"O mei (inquit) liberi!
Amor est pro jubare, odia pro umbris.
Umbras cum jubare miscet aetas.
Amore tu regito, Hiawatha!"
  Luna quŏque caelo despiciens
Mystico fatidica splendore
Frondeam permeat pergulam,
Susurratque: "O liberi mei!
Dies est impiger, nox quieta;
Vir imperiosus, femina imbecilla.
Ego solem, sol me sequitur,
Mihi dimidium imperii concedens.
Tu patientiâ regito, Minnehaha!"
  Sic domum remeant: tandem Hiawatha
Ad vetulae Nocomidis tugurium

Digitized by Google

Deducit ignem domesticum,
Sideream lunaremque lucem,
Apricum pŏpulo jubar,
Minnehaham pulcritudine egregiam
Pulcerrimas inter Dacotidas.

Digitized by Google

CAPUT XI.

HIAWATHAE NUPTIAE.

HIAWATHAE nuptias Nocomis
Sumtu effusissimo apparabat,
Missis per pagum legatis,
Qui, salignas ostentantes virgas,
In convivium cunctos vocarent.
Hi congregantur in nuptias,
Quidquid habent lautissimum, induti,
Villosas pallas, muriceos torqueis,
Pigmentis et pennis splendidi,
Gemmis cirrisque plumeïs pulcri.
  Paterae Nocomidis ex eduro ligno
Albicant, curatissime politae:
Cochlearia e cornu bonasseo
Curatissime polita nigricant.
Pro dapibus erant squalus lupusque,
A Nocomide capti et cocti;
Tum caro siccata, urorum medullae,
Cervinae clunes, gibberes bonasseï,
Flavae ex cultâ zeâ placentae,
Alterae ex incultâ oryzâ.
  Sed comis Hiawatha, amabilis Minnehaha,
Curatrixque sedula Nocomis,
Epularum expertes, ministrabant
Silenter convivis suppeditantes.

Digitized by Google

Mox ex crumenâ lutrinâ
Nocomis strenua tubulos
Tabaco opplevit Austrino,
Cum cortice russae salicis
Foliisque fragrantibus immistis.
Tum ad convivarum splendidissimum
Conversa, "O Ventose (ait) bellissime!
Saltatu nos aliquo solemni,
Faustarum in gratiam nuptiarum,
Exhilara, quaeso, si libet."
Ille, improborum bellissimus,
Adolescentium stultorum solertissimus,
Jocularis hilaritatis scurra,
Artifexque effrenae protervitatis,
Ludos callebat umbratileis,
Idemque et apricos et nivaleis;
Sive latrunculis ludendum foret vel disco,
Sive soleïs nivariis saltandum.
A bellatoribus probris petitus,
Ut imbellis, segnis, aleator,
Feminarum se arrisu solabatur,
Quae, quamvis improbum, diligebant
Stultorum formosissimum Ventosum,
Quem vulgus appellabat Procellarium.
Dameam indutus tunicam,
Albam, mollem, mustelinâ praetextam,
Muriceïs interfulgentibus gemmis;
Tibialeis cervinas gestabat,
Has quŏque praetextas spoliis
Ex erinaceo albâque mustelâ;
Dein ocreas item cervinas,
Crebris spinis gemmisque interstinctas.
Plumâ olorinâ cristatus caput,

Digitized by Google

E calcibus vulpinas caudas reflectens,
Flabellum penneum alterâ manu,
Alterâ tubulum tenebat fumarium.
Os nitidum lineïs pictus variis,
Flavo, lūteo, caerulo, minio,
Cincinnos fronte demittebat
Prolixos, oleo molliter nitenteis,
Femineo more particulatim plexos,
Ex quibus fragrantium dependent
Cirri herbarum varie nexi.
Talis vir medios inter convivas
Assurgens, dum resonat circùm
Tibia, tympanum, vox cantatrix,
Pulcro flexibilis corpore, protenus
Mysticos inchoat saltatūs.
  Primò astrictus, gravis, lentus,
Furtivo pardi gressu
Per pinos exuit, induit,
Umbras cum jubare commutans.
Mox, motu facilis celeriore
Persultans, supersultans convivas,
Vortice se rotat agili,
Dum folia et pulvis et aura
In gyrum rotantur simul.
Tum casulâ aversus, desilit
In oram Lacûs Maximi,
Et arenas dementer jactatas
Pedibus in aëra subjicit,
Donec vento vorticoso cribratae
In grumos congererentur ingenteis,
Qui, velut nivium tumuli,
Lacustrem opplerent marginem.
Tandem, labore defessus,
Ad convivas redit exhilaratos:

Digitized by Google

Illic se placide flabello
Ex meleagridum pennis ventilat.
Tu vero, (si placet credere
Quae tradidit vates Nawadaha,)
Etiamnum in orâ lacûs
Tumulos arenosos videas,
Quos in nuptiis Hiawathae
Congessit vafer ille Ventosus.
  Postea ex Chibiabo musico,
Omnium cantatorum dulcissimo
Summoque amico Hiawathae,
Carmen petebant tenerum,
Jucundum, festivum carmen,
Nuptiarum faustarum alloquium.
At lenis dulcisque ipse,
Hiawatham et Minnehaham contuens,
Dulci voce tenerrimâ
Cantum profundit mollissimum,
Effascinamentum pectoris.
  " O mea dilecta, expergiscere!
Flos mihi silvestris, avis pratensis!
Quae, oculis hinnuleum referentibus,
Si me aspicis, protenus exhilaror,
Ut rore lilia pratensia.
Dulce tu mihi ex ore halas,
Ut matutini fragrant flores;
Ut in mense cadentium foliorum
Fragrant iidem vespertini.
Nonne tuum ad occursum sanguis meus
Ex corde penitus exsilit,
Ut in mense clarissimarum noctium
Exsultant sub lucem aquae?
Expergiscere! nam cor meum gestit
Tuae viciniae conscium,

Digitized by Google

Cantatque ut rami suspirant
Jucundo in mense frāgorum.
Tibi si quid displiceat, O dilecta!
Tum meo assideat cordi moestitia,
Ut lucidus nigrat amnis
Nubium umbris offusus.
Tu si arrisisti, O mea dilecta!
Tum mihi clarescit cor turbidum,
Ut frigidi vestigia venti
In amnibus relucent sub sole.
Nunc terra arridet et aquae
Caelumque suprà serenum:
Sed neque haec neque ego rideo,
Nisi te adesse sentiam.
Me, me, experrecta aspice,
Quae sanguis es cordis mei palpitantis;
Dilecta, amata, expergiscere!"
Finito Chibiabi carmine,
Ad Iagonem convivae convertebantur,
Qui cunarum compageis Hiawathae
Ex dissectâ tiliâ confictas
Nervis tarandinis constrinxit;
Qui arcūs sagittasque fabricandi
Artem postea edocuit,—
Ut arcūs Hiawatha ex fraxino,
Sagittas e quercu concinnaret.
Hunc, senem et summum jactatorem,
Ore deformem, orant,
Ut fabulam aliquam hilarem
In honorem nuptiarum enarret.
Atque ille extemplo respondet:—
"Mirabilem auscultate fabulam
De Ossaeo atque ejus uxore,
Filio Stellae Vespertinae."

Digitized by Google

CAPUT XII.

IAGONIS FABULA.

NUMNE *Sol* descendit in aequore ?
Anne illud, quod natat volatque,
Aquas et aëra splendore tinguens,
Ruber est *Olor*, cruore vitali
Purpurissans nubeis et undas,
Magicâ vulneratus sagittâ ?
En, revera Sol descendens
Pronus se mergit in aequor.
Caelum purpuro distinguitur,
Undae puniceùm fervent.
Immo ! illac labitur Olor sanguineus,
Jamjam lacu immoriturus.
Alarum splendore caelum occupat ;
Cruore fluctūs inficit.
Super hôc stella vespertina
Per liquidam purpuram tremiscit,
In fluctuante crepusculo suspensa ;
Nisi si illud gemma est muricea
In pallâ supremi Daemonis,
Qui per crepusculum exspatians
Caelum emētītur tacitus.
Haec laetus vidit Iago,
Dixitque : " En sacrum sidus !
Audite fabulam mirabilem
De Sideris Vespertini filio.

Digitized by Google

"Olim, antiquis in diebus,
Quorum memoria nobis periit,
Quando caelum hominibus propius
Dîque magis erant familiares;
In terrâ Aquilonis venator degebat,
Decem pulcrarum adolescentularum pater,
Procerarum, ut virgae sunt salignae:
Harum autem minima fuit Owienia,
Indomita, praeceps, taciturna, fanatica,
Omnium sororum longe pulcerrima.
Ceterae fortibus bellatoribus
Nupsere superbis: sed illa procos
Reppulit juvenes ac formosos;
Mox Ossaeo pauperi, deformi,
Exacto aetatis flore, debili,
Sciuri instar tussienti, nupsit.
"Attamen Ossaeus, animo pulcer,
Vespertini fuit Sideris filius,
Sideris muliebris, tenĕri, ardentis.
In filii sinu ignis paternus,
In animo pulcritudo paterna fuit:
Splendor illi sermonis item ex Sidere,
Vitaeque mysterium arcanae.
Etenim Ossaeus a mago mutatus
Amiserat pristinam formositatem.
Multâ ille derisione vexatur
A gloribus illarumque maritis,
Formosis, pictis, cristatisque;
Neque uxor quidem amantissima
Ipsum propter amorem curasque
Eorumdem contumeliis carebat.
Tandem, quando cuncti in casulam
Congregati, talia tractarent,

Digitized by Google

Ossaeus, corde permotus,—
Oculis in Occidentem fixis,
Ubi tremiscebat vespertinum sidus,
Tenerum sidus muliebre,—
Paternum agnoscit signum,
Et intus murmurans, ait :
'O pater, meae uxoris miserere !'
Tum susurrans vox auditur
A sidereâ longinquitate adveniens,
Ex inani vastitate profusa
Cum tenerâ harmoniâ mollis :
'Ossaee ! fili dilectissimĕ !
En, rumpo tibi magorum vincula,
Ut beati sitis tuque et tua,
Et derisores poenas luant.'
" Tum tremere casula et quassari,
Sursum in auras elata
E tenebris arboreorum cacuminum ;
Mox vento citatissimo abripitur
Sub roscidâ stellarum luce
Solem versûs longe occidentem,
Sideris vespertini domicilium :
Atque omnia stătim mutantur.
Ossaeus, suâ recuperatâ specie,
Juvenis et decorus effulget.
Sed pulcrae sorores maritique
Noveni in novenas volucreis
Varie coloratas conformatasque
Mutati,—cantillabant, volitabant,
Obliquo subsultu, superbo incessu,
Plumis turgidi, improbe splendidi,
Expansis caudis, garrientes, crocitantes.
Sed Owienia incolumis retinebat

Digitized by Google

Ingenium, pulcritudinem, juventam:
Vestes duntaxat devenere splendidiores,
Candidâ ornatae mustelinâ
Et pennâ relucente argenteâ.
Ipsum et tugurium est mutatum:
Nam pro ligneïs tecti tibicinibus
Argenteae fulgebant perticae;
Proque cortice tecti, tegula
Lucebat velut squamae scarabaeorum.
Porro vasa lignea ac fictilia
In coccinum muricem pretiosum
Argentumve in purum sunt mutata.
Sed casula, abrepta illo impetu,
Per nubeis vaporemque pellucidum
Vorticibus aurarum jactata,
Tandem inter caelesteis splendores
Sub vespertino sidere quievit,
Ut nix in nivem demittitur,
Ut folium aquis insīdit.
"Ibi pater Ossaei lenissimus,
Crinibus enĭtens argenteïs,
Vultu ille serenus tenero
Filium complexus excipit.
Illic per plurimos annos
Sub tranquillo ejusdem regno
Tranquillam degebant aetatem
Ossaeus et Owienia cum volucribus
Suis affinibus protervis.
Atqui Ossaeo Owienia fidelis
Filium peperit dilectissimum,
Qui formâ pulcritudinem matris,
Ingenio patrem referebat.
Puer hic, arcu ac telis

Digitized by Google

Sagittariam exercens artem,
Avem plumis fulgentem
Crudeli sagittâ vulneravit.
Sed ante pedēs ei decĭdit
Ah! neutiquam avĭs pennata;
Sed mortua jacuit adolescentula
Pulcro sinu cruentata.
Tum subitò novantur omnia.
Nam juvenis ventis raptatus,
Devehitur Orientem versùs,
Ubi Lacŭs relucet ingens;
Pòstque feruntur aves illae
Volitantes, vi multâ abreptae,
Pennis caducae lucidis,
Ut picta Auctumni folia.
Denique ipsa cum Ossaeo casula
Cumque Owieniâ pervenit simul,
Donec cuncti insulam in viridem
Gramineam, mediis in aquis
Maximi nostri Lacûs, congregantur.
Ast aves, iterum mutatae,
Formam quidem recuperavere humanam,
Staturâ humanâ minores;
Quippe in Pygmaeos vertuntur.
Illic sub stellâ vespertinâ
Amoeno aestatis crepusculo,
In salebrosis insulae scŏpulis
Vel humili in arenâ, chorēam
Junctis mănibus exercent:
Quorum sub astris saltationem
Beatumque vocis cantum
Etiamnum audit piscator
In sereno aestivi vesperis."

Digitized by Google

Finierat Iago: atque convivae,
Post plausum multosque risūs,
Modico quievere intervallo.
Mox iterum cecinit Chibiabus
Tenĕri carmen desiderii;
Ut dulci voce moestâque
Virgo de suo amatore
Algonquino tenerùm ploret.
"Quando de amato meo meditor,
Sic misera intus pronuncio:
Illum, de quo cor meditatur,
Corculum esse meum Algonquinum.
"Quâ nos horâ, heu! discessimus,
Catellam mihi e murice niveam
Pro pignore collo circumdedit
Corculum meum Algonquinum.
"*Tecum ibo tuam ad patriam:*
Susurravit corculum meum.
Longe longinqua est patria mea,
Respondi: *O mi Algonquine!*
"In discessu quando ego respexi,
Ille item in me respiciebat,
Prope arborem in aquâ prolapsam
Astans, O meum corculum!
"Itaque de Algonquino meo
Cogitans, sic intus pronuncio:
Illum, quocum cor commeditatur,
Meum esse miserae corculum."
Sic almi celebrabant convivae
Festivas Hiawathae nuptias.
Tandem dilapsi reliquerunt
Hiawatham Minnehahâ contentum.

Digitized by Google

CAPUT XII.

MORS CHIBIABI.

At Daemones mălorum artifices
Hiawathae et Chibiabo invidi,
Ut mutuam horum opem disturbarent,
Exitiale inter se junxere fœdus.
Saepe monebat Hiawatha sagax:
"O frater, ne me reliqueris;
Ne fortè daemones măli
Te ex insidiis excipiant."
Sed ille, juveniliter ridens,
Nigerrimos quassavit crines,
Atque ait: "Noli timere, mi frater:
Ad me nihil măli pertingit."
Tandem, quum Lacum Maximum
Hiems glacie obtexerat,
Floccique nivales pervagi
Inter marcidas quercūs sibilabant,
Mox obumbranteis pinorum ramos
In latos consolidabant fornices
Sub vasto terrarum silentio;
Tum Chibiabus, fraterni moniti
Daemonumque mălorum securus,
Cornutos venatum cervos
Per niveis evagatur solitarius.
Cervos citato cursu
In Lacûs aequor elapsos

Digitized by Google

Ille, sui impotens, fanatico
Abreptus venandi impetu,
Insequitur per ventum, per nebulam,
In glacie subtus perfidâ.
Sed infrà daemones măli
Opperiebantur insidiantes,
Et glacie pedibus suffractâ
Corpus infelicis hauserunt
Imâ in arenâ condĭtum:
Sic illum in lacûs gurgite
Obruit Neptunus Dacotensis.
  At e promontorio Hiawatha
Vocem tam plenam angore
Tamque terribilem profudit,
Ut bonassus aurem admoverit,
Ut lupi e pratis ululaverint,
Et longinquus evigilans tonitrus
Luctuosâ voce responderit.
Tum ore atrato, obvoluto capite,
In tugurio ad septimum nundinum
Considebat semper lamentans:
"Decessit musicorum suavissimus,
A nobis aeternùm discessit:
Sed ad summum harmoniae magistrum
Propiùs tandem aliquanto
Migravit meus frater Chibiabus."
  Igitur pini e viridi nigricantes
Tetricis plangebantur flabellis,
Purpurea motantes nucamenta,
Communi tristitiâ tristes,
Querentes tenerùm ac flebiliter.
  Vere adveniente, silva universa
Chibiabum anquisivit nequidquam.

Digitized by Google

Singultivit rivulus decurrens,
Suspiravit juncus pratensis.
  Ex arboreo cantillans fastigio
Usque plorabat fringilla caerula:
"Chibiabe! O Chibiabe!
Decessisti, cantatorum dulcissimĕ!"
  Item a tugurio rubecula
Carmini luctuoso assonuit:
"Chibiabe! O Chibiabe!
Decessisti, cănendi peritissimĕ!"
  At noctu totam per silvam
Querens vagabatur caprimulgus
Eădem iterans lamenta:
"Ah dulcissimĕ! decessisti,
Suavissimĕ omnium cantatorum."
  Jam medici, magi, haruspices,
Visitatum Hiawatham venēre,
Medicata gestantes marsupia
E fibrinâ, lynceâ, lutrinâ pelle,
Radicibus magicis herbisve
Potentibusque medicinis referta.
In illius solatium procedentes
Moesto silenter agmine,
Augurale construunt juxtà,
Unde tympanis et crepitaculis strepentes
Carmina cantabant mystica,
Nunc universi, nunc singillatim,
Circum Hiawatham saltantes:
Mox potionem porrigebant magicam,
Quae luctum ex animo depelleret,
Ex olentibus herbis confusam.
Tum ille, retecto capite,
Pigmenta oris luctuosa

Digitized by Google

Abluit tacitus, invitus;
Jamque, velut experrectus somniis,
Furorem cordis deponit.
Etenim, ut nubes e caelo,
Ut glacies e fluviis averritur;
Sic aegritudo illa effrenis
Depulsa est pectore Hiawathae.
  Dein Chibiabum infra aquas
Ex arenis evocabant,
Torrem igneum praetendentes,
Infernis opem viatoribus,
Ne noctu solitarie
Ad regna Futuri incedentibus
Castrensis deficeret ignis.
Sic tandem patrio e vico
Suoque e domicilio per silvam,
Ut fumus, evanuit Chibiabus,
Sine motu ramorum praeteriens;
Neque gramini aut foliis in semitâ
Gressu excitavit sonum.
Mox, totius quatridui itinere
In insulam beatorum devectus
Ad populareis maneis pervenit.
  At Hiawatha, protenus egrediens,
Ad Orientem, ad Occidentem vagabatur,
Multipliceis docens medicinas
Pluriumque venenorum remedia.
Sic primùm aegris mortalibus
Promulgata est ars sanandi,
Sacrum medicinae mysterium.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

MORS VENTOSI.

De Ventoso solerte narrabam,
Saltatûs aleaeque peritissimo,
Quem vulgus appellabat Procellarium.
Ille, aleâ et ludīs diversis
Paterae aut scriptae tabulae,
Juvenes atque ipsos senes
Totam per noctem detinebat;
Donec, suo in ludo solers,
Omnium opes exquisitissimas,—
Depstas villosasque pelleis,
Torqueis muriceos, cristas penneas,
Crumenas, tubulos, tela,—
Bellatoribus atque industriis detracta
Sibi assumsit imbellis et iners.
Tum infit,—filium bellatoris
Juvenem ac validum denotans:
"Pro juvene hôc, si libet, O pater,
Quidquid omnium rerum habeo,
Id uno tibi in ludo periclitor."
Furore ludendi abreptus,
Pater conditionem accipit,
Sed iterum vincĭtur a Ventoso;
Qui, pro servo juvenem arripiens,
Humeros ejus plurimis onerat
Rhenonibus et spoliis pretiosis;

Digitized by Google

Jubetque celeriter subsequi
Domum se jam tandem redeuntem.
  Decesserat; et ceteri torpentes,
Nocte et infortunio victi,
Plureis per horas quieverunt.
Tandem, longo excussi somno,
Acerrime inflammantur corde.
Mox ipse Hiawatha adveniens
Irâ acerbissimâ movetur
Et cunctorum concitat animos.
Placet, fraudatorem insequi,
Iniqua detrahere rapta,
Atque ipsum male mulcare:
Igitur facto agmine excurrunt.
  Periti indagandi venatores
Deprehendunt Ventosi semitam
Per silvas atque in promontorium;
Impressamque notant formam,
Ubi corpus in vaccinia projecerat.
Tandem ipsum longe aspiciunt,
Necnon aspiciuntur simul.
Ille, intelligens irarum,
Quanquam insultanter provocans gestu,
Tamen se in cursum proripit,
Defessos facile exsuperans.
Per saxa, trans rivos, per dumeta,
Capreoli instar persultabat,
Donec in mediâ silvâ
Ad tranquillum pervenit amniculum,
Suo super margine restagnantem,
Quippe aggere sustentatum fibrino.
Illic arbores genu tenus erant immersae;
Illic lilia fluitabant aquatilia,
Juncique motabiles susurrabant.

Digitized by Google

Super aggerem cautus transgrediens,
Vix talīs exstans aquâ,
Duo oculos conspicatur miranteis
Emergentis fibrorum Rēgis
Aquâ super argenteâ nigri.
Dein incipit: "O fiber amicĕ,
Me pro tuo cive assume,
Ut in vestris requiescam sedibus."
Tum providus respondet fiber:
"Liberae praesum rex civitati;
Plebs si te excipiet, civis esto:"
Atque imum ad fundum demergitur,
Fuscis implexum ramalibus.
Ille spiritum paullisper recolligit
Amoenis sub arborum frondibus,
Quae umbram ac jubar variabant,
Frigore aquae refotus pedēs,
Seque inter fibros occultaturus.
Mox redit rex cum comitiis
Plenis; et, suffragia renuncians,
"Prisco (inquit) fibrorum pŏpulo
Placuit, ut nobiscum sis civis,
Modo possis domicilia intrare."
Tum pronus delabitur in aquam
Procero Ventosus corpore,
Et per urbem fibrinam quaeritabat
Sedem tantae formae idoneam.
Tandem multùm diuque percontatus
Nullas ibi satis tutas latebras
Contra iram venatorum sensit:
Mox, aquâ emersus, audit
Appropinquantis sonitum agminis.
Quare iterum cursu citato
Per caerulam umbrarum mollitiem

Digitized by Google

Inter pinos densissimas illabitur,
Quoad anhelus pervēnit
Lacum insulis differtum;
Ubi, folia per liliacea
Perque cirros juncorum implexos,
Inter arundineta insularum
Se remigabant anseres nivei.
Illas in undas praecipitatus
Natavit Ventosus in insulam,
Obsecratque anseres niveos,
Ut ipse fiat civis anserinus,
Alīs enormibus nigricans,
Pectore mollis rotundato,
Rostratus tanquam duplice cochleari,
Plumosoque collo relucens.
Respondebant:—si vellet equitare
In dorso Rēgis anserini,
Id illi se libenter permittere;
Nihil amplius suam esse potestatem.
Tum multo clamore stridentes,
Cum creberrimo pennarum strepitu
Ex arundinetis coorti,
Dereliquēre suum supplicem:
Qui, gnarus adventare Hiawatham,
Inter insulas occulte natans,
Tandem rursus ad littus pertigit.
  Illum Hiawatha conspicatur
In nube pulveris verticosâ
Ipsas praeter arenas procurrentem.
Sed quamvis velocitur insequatur,
At Pictas Rupeis cavernosas,
Lacûs rurisque longe arbitras,
Tamen occupat trepidus perfuga:
Ubi a vetusto montium Daemone,

Digitized by Google

Ostium expandente saxosum,
In speluncas arenaceas excipitur,
Tristi profundas caligine.
Mox extrinsecus Hiawatha clamitans,
Accessum frustra flagitat,
Comminuens saxa caestibus :
Nam expostulanti vetus Daemon
Ne Hiawathae quidem respondet,
Scŏpulis occultus in silentibus.
Tum, mănibus ad caelum sublatis,
Procellam Hiawatha et Fulmen
Oravit, ut descenderent *
Profunditates saxetorum diffissura.
  Vĕnēre cum nocte ac tenebris
A longinquo Tonitrali jugo
Super undas lacûs ingruentia.
Sed ille in cavernâ pavidus
Gressūs procellae sentiebat
Et rutilos fulguris oculos.
Tandem bellicâ suâ clavâ Fulmen
Prominenteis scopulos arenaceos,
Posteis cavernarum, percussit ;
Tonitrusque introrsum rudebat,
" Ubinam est ille Ventosus ?"
En ! corruerat caverna, et infrà
Sub saxosis jacebat molibus
Emortuus pulcer ille Ventosus.
  Sic finita est hujus hilaritas,
Necnon omnigenae improbitates ;
Sed apud vulgus nomen remănet.
Quoties ventus hiemalis vorticosus
Per tubos camini sibilat,
Aiunt : " En, saltat Ventosus."

Digitized by Google

CAPUT XV.

MORS QUASINDAE.

QUATUOR in gente Ogibbawaiarum
Viri addocebant arteis.
Hiawatha regimen omnium docuit,
Et Cereris Indicae sementem
Suâ in tempestate metendae;
Cymbas lĕvissimas contexere,
Vēlīs tanquam animâ ornatas;
Amnium aperire viam,
Paludes siccare noxias,
Et sensa animi arboreo in libro
Seu corio lignove pingere,
Et menseis pernumerare.
Ventosus leviores atque improbas
Pŏpulum arteis edocuit.
Quasinda, quod animo Hiawatha
Moliretur, id vi perficiebat.
Chibiabus exercebat Musam
Carmine, voce ac tibiis.
Sed Chibiabus, Hiawathae dilectissimus,
Malitiâ daemonum perierat,
Memori lugendus moestitiâ.
Infortunia turmatim veniunt.
Haud secus, quàm in vastitate camporum
Si morbo aut vulneris vi

Digitized by Google

Debilis procubuit bonassus;
Simul unus prospiciens vultur
Ex sublimi per auras demittitur,—
Stătim alter, item alter porro,
Longinquo ex aethere contuitus,
Devolantis praecipitem viam
Agnoscit; mox subsequitur,
E caeco profundo caeli
Allabens, primò ut macula,
Dein āles, immo volturius:
Tandem, aliis atque aliis congregantibus,
Obscuratur pennis dies.
  Neque măla singillatim veniunt:
Sed, quasi clades observet cladem,
Una si in miserum descendit,
Ceterae gregatim subsequuntur,
Lĕvis, ac mox atrocior,
Aucto in horas angore,
Dum tenebris cor obvolvatur.
  Post exstinctum Chibiabum, Pygmaei
In vitam Quasindae conjurant;
Cui propter vireis praevalidas
Invident acerrimâ malitiâ,
Quia ipsi pusilli sint atque invalidi.
Ergo cum divulis amniculorum
Bellicam societatem ineunt,
Quasindae molientes necem
Insidiis suâque astutiâ.
Ut in cymbâ voluit betuleâ
Rivum sub solé descendere,
In rupeis enīsī rubras
Loca obumbrata occuparunt
Sublimes in frondibus arborum,

Digitized by Google

Quae desuper aquis imminebant:
Ibi cum telis exspectabant hostem.
Is, pomeridiano tempore
Aestivo segni suffocante,
Sub apricis radiis lassus
Lēvissimo illabebatur aequori,
Decursibus scintillanti insectarum,
Aëra mussatione implentium.
Jamque post fervores sub umbra
Sopore leni afficitur
Mitiore permulsus aurâ,
Et vim remorum deminuit.
Pygmaei, gnari Quasindam
In vertice modò capitis infirmum,
Hanc partem nucamentis petunt,
Suo telo ac clavâ bellicâ.
Sic pusillâ pulsabant plāgâ
Alius atque alius validum virum,
Qui, magis magisque languidus,
Magis magisque somniculosus
Sub cirris betularum impendentibus,
Leni aquarum susurro
Ac consono insectarum murmure,
Telis Pygmaeorum conturbatus,
Capite omni ac mente natat,
Tanquam si longinqui undas
Oceani audiat tumultuanteis.
Mox rura obscurantur et ripae,
Manūsque in genua decĭdunt.
Tunc fortiùs atque acriùs telis
Petunt nutantis verticem;
Atque ecce, declinans oblique
E cymbâ, pronus immergitur,

Digitized by Google

Ut lutra se praecipitans.—
Vacua secundùm flumen cymba
Devehitur; mox inversâ carinâ
In ripâ amniculi invenitur:
Sed nemo invēnit Quasindam.
Ceterùm memoria viri praevalidi
Inter suos diu remanebat:
Et si quando hibernâ in procellâ
Arborum audirent fragorem;
"Heus! (aiebant) Quasinda cummaxime
Ligna pro fomite diffindit."

Digitized by Google

CAPUT XVI.

MORS MINNEHAHAE.

Bis fuerat Hiawatha orbatus,
Ambobus amissis sociis
Chibiabo atque Quasindâ.
Anne aliud quid restat majus,
Quod cor Hiawathae angat?
  Tristi super terrâ Boreali
Suam vim Hiems exhalans
Lacuum amniumque aquis
Solidum permutavit saxum.
Niveis e crinibus suis quassans
Campos perstravit albedine
Lēvi, aequabili; quale opus
Creatricem manum divinam monstrat.
Vastam per silvam strepitu plangentem
Venator nivariis in soleis prodibat.
Feminae aut zeam conterebant
Aut pelleis depsebant dameas;
Juvenes pilâ ludentes
In glacie strepebant, vel in campo
Soleis saltabant nivariis.
  Sed Hiawathae spectra mortuorum
Terribilia animo obversantur.
Duas videt in obscuro formas
Pallidas tenueis tristeis,

Digitized by Google

Quae diu in casulâ morantur,
Tacitae plerumque atque immotae.
Semel tantùm rupēre vocem
Cum monitu ac miti sermone,
Intima pertentante praecordia;
Dein subita insequitur obscuritas.
Nihil ille plene dispexit,
Sed vestium audivit crepitum
Sub velo tentorii praetereuntium.
Nocturnum sensit frigus,
Dum sidera perstrinxere oculos;
Et protenus abîsse comperit
Nuncios illos, maneis mortuorum,
Ad terram Futuri reduces.
  Ceterum, proh tristis hiems,
Diuturna, edura, crudelis!
Spissior et semper spissior glacies,
Altior et semper altior nix,
Quae rura, silvas, vicos obruit,
In tumulos ingenteis ventilata.
Vix e sepulto tugurio
Vi multâ se extricabat venator,
Qui cum caestibus passim silvas
Soleïs nivariis pervagans,
Aveis ferasque anquirebat frustra.
Sane vestigiis pedum deletīs
Pallidâ in silvâ dirùm albicante,
Plurimus venator debilitatus
Periit tunc fame ac frigore.
Aegra fuit tellus, aër famelicus;
Ipsae in aethere scintillabant stellae
Velut luporum oculi famelicorum.
Tandem in Hiawathae casulam

Digitized by Google

Alterae duae intravere umbrae
Non invitatae, invisae, squalidae,
Oculis cavis ac tristibus ;
Quae, audacter considentes,
In os Minnehahae obtuebantur.
Prior ait : "Ecce me, Famem ;"
Atque altera : "Ecce me, Febrem."
Tum amabilis Minnehaha abhorrens
In lecto cubabat tacita,
Tremens, gelascens flagransque,
Tali viso perterrita.
Sed circa atque undique audiuntur
Vagitūs, planctūs plurimarum :
Nam pueri infantesque peribant
Febre ac fame devicti.
Nec potis erat Hiawatha durare,
Minnehaham deficientem videns :
Sed villo obvolutus cum telis
Iterum atque iterum in silvam
Prodiit, quamvis desperans,
Nunc Daemonem precibus Supremum,
Nunc ipsam Minnehaham appellans :
"O ne tu morĕre, Minnehaha !"
Sed nemo vocanti respondet
Praeter vocem repercussam, *Minnehaha !*
Illas per silvas latissime vagatur,
Per quas olim illâ jucundissimâ
Aeternae memoriae aestate
Uxorem adolescentulam domum
E terrâ Dacotarum secum duxit.
Tunc aves in dumetis cănebant
Rivulique micabant ridentes,
Et molles fragrabant aurae ;

Digitized by Google

Quum voce intrepidâ Minnehaha,
"Te maritum sequar," dixit.
Ast illa nunc in tugurio
Cum Nocomide, ab hospitibus
Inamabilibus illis observata,
Jacebat amata, jam moribunda.
"Audio (inquit) obstrepitanteis
Minnehahae praecipiteis aquas."
"Immo, pusilla!" respondet Nocomis:
"Aura nocturna pinos agitat."
"En! (inquit) patrem aspicio
Suam ad januam, solitarium
Nostrâ in regione Dacotarum;
Unde annuit ut ad se veniam."
"Immo, pusilla!" respondet vetula:
"At fumus tibi undans annuit."
"Eheu!" ejulat: "Mortis ego oculos
Inter tenebras igneos video.
Digitos hujus sentio glacialeis,
Qui me per caliginem prensant.
Eheu, vae tibi, Hiawatha!"
Atque ille, quamvis procul, sensit
Se a Minnehahâ vocari;
Reditque propere onustus lignis,
Tantummodo ut aspiciat suam amatam
Coram se frigidâ in morte projectam
Acreis inter planctūs Nocomidis.
Ne tu me interroga quantos gemitūs,
Quantum angorem astra audiverint;
Quot dies consumserit tacitus aut lugens.
Verùm intimâ in silvâ nivibus egestīs,
In fossâ sub cicutis cavatâ,
Splendidis amictam vestimentis,—

Digitized by Google

Villo mustelino obtectam,
Item nivibus, mustelâ candidioribus,—
Minnehaham sepelivere Dacotida.
Quatuor noctibus quaternos igneis
Accendebant e cicutis tristibus,
Animae peregrinanti solatium.
Hiawatha autem insomnis assurgens
Ignem illum assidue observabat,
Ne ad insulas beatas proficiscentem
Tenebrae Minnehaham obvolverent.
"Valeas! (inquit) O Minnehaha!
Tecum meum est cor sepultum.
Ne redīto ad labores et aerumnas,
Ubi Fames et Febris angat.
Et ego mox, opere finito,
Tua vestigia subsequar
Easdem ad insulas beatorum
In Regni terrâ Futuri."

Digitized by Google

CAPUT XVII.

DISCESSUS HIAWATHAE.

In casulâ propter amnem gelatum
Sedebat senex moestus solitarius,
Nivibus capillorum cānus,
Contremiscens segnem ad focum,
Lacero obvolutus pallio.
Nihil hicce praeter ventosam procellam
In silvâ perstrepentem audiebat :
Nihil cernebat praeter niveis
Sibilanteis et vento contortas.
  Sopitīs favillarum flammis,
Per apertum ostium intravit
Adolescens gressu lĕvi,
Cujus in genis rubebat sanguis
Juventae, mollesque oculi
Ut verna lucebant sidera.
Frons vittis herbarum fragrantium,
Tanquam coronâ vel cristâ, redimītur
Labra pulcritudine renīdent,
Unde tota apricatur casula.
Manŭs gemmas ac flosculos gestat,
Casulam odoribus replenteis.
  "Ah fili !" exclamat senex ;
"Revisisti me, oculos beans.
Hic mihi assĭdens, enarra

Digitized by Google

Quònam tu peregre adieris,
Atque ego quid navaverim, docebo."
  Tum e perulâ tubulum fumarium
Extraxit veterem, pacis auspicem,
Mire informatum ; cujus capula
E rubro est saxo arenaceo conficta,
Et scapus ex arundine plumatâ.
Cortice salignâ oppletam capulam,
Prunis vivīs accensâ, hospiti
Porrigit, et ad hunc modum infit :
  "Ego simul atque circùm afflo
Et super rura effundo spiritum,
Amnes consistunt, aqua lapidescit."
  Subridens respondet juvenis :
"Ego simul atque circùm afflo,
Et spiritum effundo super rura,
Florescunt prata, defluunt amnes."
  "Ego si cānam quasso caesariem,"
Fronte inquit nigricante senex,
"Cuncta nivibus obteguntur rura ;
Cuncta et folia cunctis a ramis
Marcent, decĭdunt, dispereunt,
Meo sub halitu evanescentia.
E fluviis vastisque paludibus
Surgit anser niveus et ardea,
Ad longinquas avolaturi terras,
Meâ sub voce exsulantes.
Et si qua peregre vagor,
Tum siliceâ sub terrâ suis in cavis
Ferae occuluntur silvestres.
  "Ego si fusos quasso cincinnos,"
Risu inquit adolescens molli,
"Grato mox stillant tepore pluviae

Digitized by Google

Laeti se efferunt frutices,
Redit anser niveus suos ad lacūs,
Ad vastas paludes redit ardea.
Hirundo se domum jaculatur,
Cantat cyaneola et rubecula:
Et si quà peregre vagor,
Flosculis undant immensa pratorum,
Harmoniâ strepunt nemora ac saltūs,
Spissisque foliis nigrant arbores."
  Dixerant: et nocte finitâ
A longinquis Matutini regnis
Ex argenteâ aede relucente
Tanquam instructus pictusque bellator
Egreditur Sol augustus,
Vociferans, "En ego adsum!"
Tum mutus devēnit senex;
Sed aër amoene tepebat,
Et suave in tugurio carmen
Cantillabat cyaneola et rubecula.
Rivi augescebat murmur;
Et leniter per casulam diffundebatur
Herbarum odor nascentium.
  Tunc adolescens, cui *Verno* nomen,
Plenâ sub luce dispexit
Quisnam ille senex glacialis
Assidēret; agnovitque *Brumalem*.
At illi ab oculis lacrimae,
Ut rivi e lacubus, liquescebant;
Corpusque, pröut Sol gestiens
Surgēbat, attenuabatur:
Tandem in aëra vel in humum vanescit.
Mox ipso in laris foco,
Ubi segnis fumaverat ignis,

Digitized by Google

Florem adolescens conspicatur,
Primigenum Verĭs decus,
Pulcerrimam *Virginicae* gemmam.
  Sic in regione Boreali
Post frigus brumae invisitatum
Verna advēnit tempestas splendida,
Avibus, gemmis, floribus,
Foliis, graminibus ornata.
Septem versus Trionem, velut navium agmina,
Sive ut sagittarum imber plurimus,
Vento devecti, olores eunt,
Paene humanâ clamitantes voce:
Item anseres niveï, qui lineatim,
Ut perrupti arcuum nervi,
Flexibus longe extentis fluctuant:
Mox pennis clangens, mergus glacialis,
Aut solus, aut solâ cum conjuge;
Et ardea caerula atque tetrao.
  Inter dumeta perque prata
Suum cyaneola profundit carmen.
Summo tugurii in fastigio
Rubecula cantans respondet.
Necnon, densissimis in pinis
Obtecta, congemebat palumbes:
Quas omneis Hiawatha moestissimus
Audiebat cum elingui gutture,
Quanquam se compellatum sensit.
Tamen tristi egressus ostio
Astitit, caelum contuens
Telluremque et aquas latissimas.
Sic saepius contemplans astabat,
Verĭs per horas recentis,
Orbus et Minnehahâ et Nocomide.

Digitized by Google

Sed cor, sublimi pastum
Naturae renascentis pulcritudine,
Obliviscitur moestitiae paullatim.
Tandem appropinquat aestas:
Atque ille, juxta Lacûs littora,
Lacûs immensùm relucentis,
Sui tugurii in januâ
Mānĕ aestivo contemplabatur,
Destinata consilia definiens.
Largus aër integritatem olebat,
Gaudium irradiabat terra;
Et coràm, aureâ in apricitate,
Ad occiduum praeteribant nemus
Gilva mellificantium examina
Apum, sub sole canora.
Clarum suprà relucebat caelum,
Lēvia infrà lacûs aequora,
Cujus e gremio exsultabat squalus
Calido sub jubare scintillans.
At maxima lacûs ad marginem silva
Tranquillo in aequore inversa apparet,
Immotis subtus cacuminibus.
Jamque a fronte Hiawathae abstersum est
Quidquid doloris insederat;
Ut a fluvio caliginosus aër,
Ut a prato evanescit nebula.
Ille subridens, exsultans,
Ut vates futurorum gnarus,
Constabat forti cum fiduciâ.
  Tandem subitò arrectus properat
Obitque universum vicum,
In contionem vocans ad vesperam,
Sui ante portam domicilii.

Digitized by Google

Congregantur: atque ille assurgens,
Solem versùs manūs effert,
Palmâ utrâque expansâ.
Sed per digitos jubar divisos
Illius in os tamen incĭdit,
Nudis humeris affulgens,
Ut per folia ramosque diffissos
Quernum stipitem variat.
Dein vaticinans aït pŏpulo:
"O fratres! Daemon Supremus
Mihi multa sub corde dixit
Arcani visa Futuri
Cum sagacibus agendi consiliis.
Audio comperique, et scitis vos,
Novum ex Oriente venisse pŏpulum
Ore candido, mente callidâ,
Manu artibusque peritissimum,
Bellicâ vi sane formidandum.
Visione divinâ nunc cognovi
Fore ut hi, plebis numero creberrimi,
Sint praepotentes nostro in sŏlo.
Hos ne arcessitote, neve depellitote,
Amicos ancipiteis, hosteis acerrimos.
Hos, siquando sponte advenient,
Summâ benevolentiâ exceptos
In foedus pacis jungitote.
Horum ediscitote arteis
Excultamque exercetote industriam;
Si fortè ingenio adaucti
Possimus cuncti inter nos coalescere,
Unus indigenarum pŏpulus.
Sin minùs, augurium animo
Horribile dirum insīdit,

Digitized by Google

Nostrorum reliquias debileis,
Ut nubeculas procellâ disjectas
Sive ut folia Auctumni marcida,
In longinquitate Occidentis disperituras.
Ego, patris oraculo arcessitus,
In regna Cauri discedo,
Ibi reliquam exacturus aetatem:
Jamque valete, Fratres! Sorores!"
  Dixerat: astansque in ripâ
Manu sublatâ salutabat;
Tum in undas clarissimas super lapillos
Betuleam propulit cymbam;
Quae, jussa ad occiduum properare,
Dicto obediens, elabitur.
  Sub Sole vesperi declinante
Nubes rubore inflammantur,
Velut campi latissime incensi:
Sed aequabili in aquarum marmore
Extrahitur agmen splendorum,
Quorum per rivulum Hiawatha
Semper se ad occiduum dirigens,
In Solis igneis deproperat;
Mox in purpureos vapores,
Tum in vespertinam caliginem.
A suis in margine littorum
Observatur delabens, assurgens,
Eò usque, dum cymba videretur
In mare fulgorum elevari;
Demum in aestuantem purpuram,
Ut nova lente declinat luna,
Lente longinque absorberi.
"Vale! in aeternum vale!"
Inquiebant: "O vale in aeternum!"

Digitized by Google

Jam silvae nigrae desertaeque
Penitus desiderio permotae
Suspirant: "Vale, Hiawatha!"
Porro undae, lacûs in orâ,
Cum impetu lapillis instrepentes,
Singultant: "Vale, Hiawatha!"
Ipsa ex cubilibus ardea,
Latissimis cincta paludibus,
Stridit: "Vale, Hiawatha!"
  Sic dilectus ille discessit
Inter Solis occidui fulgores
In purpureis vesperae nebulis
Ad Cauri venti regiones,
Cauri, venti Penetralis,
Ad insulas beatorum,
Ad Regni terram Futuri.

Digitized by Google

Digitized by Google

GLOSSARY.

THIS Glossary includes three classes of words:—

1. Words connected with Natural History.
2. Words which, though justified by classical analogy, have no certain example in the existing classics. These are distinguished by an asterisk.
3. A few words not always found, or imperfectly explained in school dictionaries.

ACHATES, -AE. An agate stone.

ACIPENSER. The Sturgeon. (vide Squalus.)

ANSER NIVEUS. The Brant, a species of wild goose.

ANTELAPHUS=ANTILOPA. The Antelope.

ARBITER. An Eye-witness, surveying as with the eye.

ARRISUS* -ŪS. A smile.

ASTACUS. The Crawfish.

ATROR* (=ATRITAS, but a more poetical form.) Blackness.

BERBERIS, -ĬDIS. (Spina Acida.) The Barberry.

BETŪLA. The Birch-tree.

BONASSUS. The Bison.

BRANCHIÆ. (Pliny.) The gills of fishes.

CANTILLARE. To chirp, warble.

CAPULA. A *pipe* bowl.

CAPREA, *dim.* CAPREOLUS. A Roe.

CAPRIMULGUS (Vociferus). The Whippoorwill.

CAESTUS (Digitales). "Mittens," *i.e.* in this case, Boxing Gloves, supposed to be used for crushing stones by the hero's fist. (I have also used Caestus generally for *Mittens*, as in p. 94, but am not able to justify this.)

CINCINNUS. A curl, ringlet.

CIRRUS. A tuft, lock.

COCHLEAR. A spoon.

COLYMBUS. (Gr.) The Grebe, a species of Arctic fishing-bird, personified by the poet.

Digitized by Google

COMPAGO (Ovid) =COMPAGES. Frame-work.
CORVUS MARINUS. The Cormorant.
CYANEOLA. The Blue-bird of America; also called *Fringilla Caerulea* by me. (The colour of the bird as seen by me in the Zoological Gardens of London was decidedly *light* blue though the name Cyaneola was affixed.)
DAMEUS.* *Adj.* from DAMA, a Fallow-Deer.
DIVŬLUS, *fem.* DIVULA. A Sprite or Fairy.
EFFASCINAMENTUM.* An object which thoroughly fascinates.
ERINACEUS. A Hedgehog.
EXTRORSUM.* (Opposite of Introrsum.) In an outward direction.
FĪBER. The Beaver, *adj.* fĭbrinus.
FRĀGI. Strawberries.
FRINGILLA. A Finch.
FULGIDULUS.* Gleaming.
GAVIA. The Gull.
GLADIOLUS. The Iris, Flag.
GLOS, -ORIS. A Sister-in-law.
GLUMA. The husk of corn.
GROSSULARIA. The Gooseberry.
GURGES. Deep water. (Many dictionaries wrongly render it *a whirlpool.*)
HARENGA. A Herring.
HARMONIA. Melody (not harmony).
IASPAR, -ĂRIS. Jasper.
ILLISUS, -ŪS. A dashing against.
JEJUNARE.* (*Eccles. verb.*) To fast.
JUNCĒTUM. A place full of bulrushes.
LACUSTRIS.* *Adj.* from LACUS.
LAPICĪDĪNA. A stone-quarry.
LARIX. The Larch-tree.
LUPUS. The Pike (a fish).
LUTRA. The Otter. *Adj.* LUTRINUS.
MARSUPIUM. A purse, pouch.
MELEAGRIS, -IDIS. The Turkey, first brought from Virginia.
MERGUS GLACIALIS, The Loon, or great speckled diver.
MOTABILIS. (St. Jerome.) Waving.
MUREX. Properly a shell-fish—also the shell of the

Digitized by Google

same. (Virgil.) It is here used for the special shells called *Wampum*, and valued as coin by the North American Indians. Hence also *Muricous*, adj.—But a better Latin rendering is to be desired.

MUSSATIO.* A buzzing.

MUSTELA ALBA. The White Ermine.

MYRTILLUM. (*dimin.* of MYRTUS.) The Bilberry.

NEBRIDĒS. (Gr., *accus.* -ĂS.) Fawn-skins.

NIVARIUS. Suited for the snow. (NIVEUS, NIVALIS, NIVOSUS, are all different from this.)

NOCTUOLUS.* An Owlet.

NUCAMENTUM. Anything in the form of a nut hanging from trees. The Pine-cone.

OBJEX =OBEX. Barrier, bar, bolt.

ORTHAGORISCUS MOLA. The Starfish.

OSCILLARE. To swing. The verb is in Festus, and in Schol. Bob. on Cicero Pro Plancio.

PAPPUS. The down of the thistle and other plants.

PARDUS. The Panther.

PENNEUS.* *adj.* from PENNA, Wingfeather.

PERCA The Perch (a fish).

PHOENIX. The Flamingo. (*Flammipennis.*)

PISCARIA. A place abounding with fish, a fishing-ground.

PLUVIANUS. The Plover.

PRAEVERTERE. To run across in front, and thus *outstrip*.

PROCOR,* -ARI. (Festus and perhaps Cicero.) To act the suitor, to woo.

PROTECTUM. Eaves.

RHENO or RENO. Probably a Reindeer. Then garments made of Reindeer-skin.

RUBĒCULA. A Robin.

RUBUS. A Bramble, Briar.

RUSCUS. Furze. Whence *adj.* RUSCOSUS, and *subst.* RUSCETUM,* A place of Furze and Broom, a heath or dry moor.

RUSSUS. Russet.

SALISUBSULA, *fem.* A Dancer, Tumbler.

SALTATRICULA, *fem.* A little Dancer.

SAXETUM. A place abounding with rocks.

Digitized by Google

SCAPUS. The shaft, stem (of a pipe).
SCIURUS. (Gr.) The Squirrel.
SIMUL =SIMUL AC or SIMUL UT. As soon as.
SQUALUS. The Shark. (Squalus spatula or acipenser, the Sturgeon of the Mississippi.)
SUBSULTUS.* A jump, hop.
SUPERSULTARE.* To jump over.
SUPPLODĔRE.* To stamp with the foot.
SYRTIS. (Gr.) A sandbank movable by the waves.
TABACUM. Tobacco.
TARANDUS. (Gr. Linnaeus.) The Reindeer.
TETRAO. The Grouse.
TUBULUS. A pipe (for smoking).
URUS. The Buffalo.
VACCINIUM. Whortleberry?
VIRGINICA. The Spring Beauty. (*Claytonia Virginica.*)
ZEA. Spelt, Maize. (*Zea Mays*, Linn.) Hence
ZEANUS, *adj.* as the personification of the Maize.

As regards spelling, a learner ought to be accustomed to every form of words used in the current editions. I therefore think it better *not* to be uniform as to Vertex and Vortex, Vultur and Voltur, Caelum and Coelum, Maestus and Moestus, &c. The Italians having long ago lost all distinction of *ē*, *ae*, *oe*, no weight whatever seems to be due to MSS. on this point; and the opposite etymologies pleaded are too uncertain to rest upon. But I have preferred the accus. pl. in *-eis*, (when the gen. pl. is in *-ium*,) not only as a little elevating the style, but also because it is always better to learn from the beginning the fullest admissible discrimination of the cases. I have intended to distinguish by quantity-marks all words really doubtful, as well as by the circumflex on ablatives in *a* and genitives in *us*.

September, 1862. F. W. N.

CORRIGENDA.

Page 60, line 30, *for* "Per tenebris" *read* "Per tenebras."
Page 67, last line but one *for* "Remeant" *read* "Perveniunt."

Digitized by Google

Photomount

BY PROFESSOR NEWMAN.

THE ILIAD OF HOMER, faithfully Translated into Unrhymed Metre. Crown 8vo. 6*s*. 6*d*.

THE ODES OF HORACE, Translated into Unrhymed Metres, with Introduction and Notes. Crown 8vo. 5*s*.

COLLECTION OF POETRY, for the Practice of Elocution. Fcap. 8vo. 2*s*. 6*d*.

DIFFICULTIES OF ELEMENTARY GEOMETRY. 8vo. 5*s*.

THE RELATIONS OF FREE KNOWLEDGE TO MORAL SENTIMENT. 8vo. 1*s*.

THE RELATIONS OF PROFESSIONAL TO LIBERAL KNOWLEDGE. 8vo. 1*s*.

LONDON: WALTON AND MABERLY.

HOMERIC TRANSLATION: a Reply to Professor Matthew Arnold. 2*s*. 6*d*.

LONDON: WILLIAMS AND NORGATE.

Digitized by Google